



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXVIII. De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

ad ita iudicandum motus sit favore alterius partis, vel eiusdem timore, aut odio, vel per sordes, hoc est, largitione pecuniæ. Sextò. Quòd gravet partem faciendo, seu committendo: secus, si solum omittendo, vel negligendo: tunc enim non incurreret hanc pœnam; quia, cum ista constitutio sit pœnalis, non debet extendi. *Gl. magna hic.* & uno horum deficiente, cessat pœna: sed contrarium tenet *Ancharanus hic not. 5. Franc. num. 5.* quoad ultimum requisitum, quòd pœnam incurreret Iudex, etiam si omitteret, vel negligeret facere, quod debet; quia omittens dicitur facere; quamvis plus delinquat quis committendo, quàm omittendo, & saltem Iudex omittens teneretur ad interesse partis, juxta *Gl. magn. hic in notatis.*

C X X. Notandum quartò. Si Iudex Ecclesiasticus suspendatur ab officio, intelligitur quidem suspensus ab officio simpliciter, hoc est, ab exercitio Ordinis, & Jurisdictionis, non autem à beneficio; quia pœnæ sunt restringendæ, & si Papa hoc voluisset, id expressisset. *Gl. in cit. cap. 1. V. Officii, & V. Divinis.* Quare, si ita suspensus, celebrando Officia Divina, hanc censuram violet, irregularitatem quoque incurrit: secus verò, si ab Officio solum iudicandi esset suspensus: tunc enim non prohibetur Officia Divina celebrare, neque, si munus iudicandi, à quo est suspensus, exerceat, irregularitatem contrahet, quamvis acta sint irrita; quia irregularitas tantum incurritur ab eo, qui violat talem censuram, ratione cuius à celebratione, vel exercitio alicuius Or-

dinis est prohibitus; ut constat ex *oro tit. de Chiro. excomm. aut suspens. ministr. & tradit. Suar. diff. 44. de censur. sec. 5. num. 1.*

Notandum quintò. Iudex, qui partem communitatem in Iudicio gravat, non scienter, & voluntariè, sed ex inconsideratione, vel ignorantia, credens se iuste iudicare, non incurrit hanc suspensionem per annum ab executione officii; ut colligitur ex *cit. cap. 1. h. 1. in 6. ibi: Contra conscientiam, per gratiam, per sordes: & ibi Gl. magna in notat. & ex l. Filiofamilias; 15. ff. de Iudiciis.* ubi in fine dicitur, dolo id fieri quod fit à Iudice, gratiâ, vel inimicitia, vel per sordes: Ratio est; quia tunc non agit contra conscientiam, nec formaliter contra iustitiam, sed solum materialiter; ideoque suspensionem non incurrit. *Suar. dif. 31. de censur. sec. 3. n. 16.*

Notandum sextò. Solus Papa potest absolvere ab irregularitate proveniente ex eo, quòd quis, durante suspensione, Divinis officiis se ingerit; ut patet ex *cit. cap. 1.* Neque tamen per hanc partem suspensionis, & irregularitatis tolluntur alie pœnæ tam legales, quàm Canonice, quæ Iudicibus in iudicantibus infliguntur, sed ex in suo vigore permanent. *cit. cap. 1. in fine.* Ex quo inferri potest in *5. Sciturus; num. 2. not. ult.* quòd si à lege non imponatur diversa pœna ab illa, quam antiqua lex infligerat, non videtur antiquam tollere, sed potius accumulare.

T I T V L V S XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBVS, ET RELATIONIBVS.

Actum est titulo præcedente de Iudicis sententia, eiusque effectu, & executione: sed quia appellatio est remedium contra sententiam, per quod eius effectus suspenditur, ne transeat in rem iudicatam, & executio impeditur; ideo subiungitur hic Titulus de appellationibus. Et quia recusatio Iudicis, & relatio causæ ad Superiorem, in eo conveniunt cum appellatione, quòd per illas etiam suspenditur sententia Iudicis; ideo de illis quoque sub eadem rubrica agitur. Extat hic titulus de appellationibus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE APPELLATIONIBUS in genere.

§. I.

Quid, & quotuplex sit appellatio, & cur sit inducta?

I.

ASSERTIO I. Appellatio communiter definitur, quòd sit à minore, seu inferiore, ratione gravaminis illati, vel inferendi, ad ma-

jorem, seu Superiorem, tanquam Iudicem, facta provocatio; prout videre est apud *Maran. de ord. p. 6. tit. de appellat. n. 1. & alios.* ubi provocatio patet loco generis; quia latius patet, quam appellatio, nam provocatio est omnis actus, per quem Iudicis officium, seu auxilium imploratur. Deinde dicitur minore, seu inferiore, eoque vel Iudice, vel alio comprehendatur etiam extrajudicialis appellatio, quæ fit ab aliis, quàm iudicatis; ut ab electione, spoliatione, & similibus actibus. *Gregor. Tit. partit. Iur. Canon. lib. 5. tit. 15. cap. 1. nam.* Additur: ratione gravaminis illati, vel inferendi; quia non solum ab illato, sed etiam inferendo appellari potest extrajudicialiter; ut patet ex

explicabitur. Debet autem appellatio fieri necessario ad maiorem, seu Superiorem; quia ad inferiorem, vel parem, vel eundem Juris fictione appellare non licet. *Abbas ad rubric. hoc tit. num. 2.* Par enim in parem imperium non habet. *l. Nam Magistratus; 4. ff. de rezept. arbit.* Multò minus inferior factum, seu errorem Superioris corrigere potest, sed contra Superiori inferiorem. *Arg. cap. pen. de maior. & obed. Marant. cit. loc. num. 3.* Quare nec consuetudine induci potest, ut appelletur à Superiore ad inferiorem, vel parem, vel ad eum, qui eiusdem fori, seu tribunalis Jurisdictionem habet; ut ab Officiali Episcopi ad eundem. *cap. 2. de consuet. in 6. & dictum supra lib. 1. tit. 4. num. 98.* Esset enim talis consuetudo irrationabilis, quippe contra rationem, ac veluti substantiam appellationis: nam appellatio est ad alium, eumque maiorem Judicem. *l. 1. §. Siquis. ff. hoc tit. cap. Placuit; 9. caus. 2. q. 6.* Nisi tamen consuetudo parem, vel minorem in eo casu appellationis fecerit maiorem.

II. Assertio 2. Duplex est appellatio, judicialis, & extrajudicialis. Judicialis appellatio est, quæ fit ab actibus judicialibus; adeoque de his, quæ in Judicium veniunt, & circa illud accidunt: eaque interponitur, vel ante litis contestationem; ut, si quis citatus sit à Judice, dato nimis brevi termino peremptorio: tunc enim iusta causa est appellandi, juxta *cap. 1. de dilation.* Vel si Judices delegati iustam exceptionem partis, quod v. g. vii. impetrati Rescripti Apostolici, conveniri non possit, admittere nolint, ea tanquam gravata ad Superiorem appellare potest, juxta *cap. Significante; 34. & cap. seq. de Rescript.* Vel appellatio fit, post litis contestationem, sed ante sententiam definitivam; ut ea, quæ sit à sententia interlocutoria, seu questionis incidentis, de qua est sermo in *l. 2. ff. hoc tit.* Vel fit post sententiam, ab ipsa scilicet sententia definitiva, vel eius executione. *Wesembec. in paratit. ff. hoc tit. num. 5. Gregor. Tholos. Syntag. Jur. univ. p. 3. lib. 50. cap. 2. num. 5.*

III. Extrajudicialis appellatio est, quæ fit ab actibus, & decretis extrajudicialibus, quibus aliquis gravatur. Eaque describitur apud Abbatem in *Rubric. hoc tit. num. 3.* Est provocatio ad Superiorem ob gravamen, quod extra Judicium ab aliquo inferitur, vel probabiliter inferendum timetur. Ea fit autem, vel à Judice inferiore extrajudicialiter procedente: ut si is, cui tutela delata est, si se excuset, eiusque excusatio rejiciatur à Judice, potest, si se gravatum putet, appellare. *l. 1. §. Siquis tutor. ff. Quando appelland. sit.* Quin etiam appellari potest ab alio quolibet extra judicalem processum gravante, juxta *cap. Bone; 51. h. t.* Rursus appellatio extrajudicialis aliquando fit à gravamine præsentis, & illato, v. g. ab electione jam factâ, aut decretâ, de qua est sermo in *cap. Concertationi; 8. h. t. in 6.* interdum vero fit à gravamine futuro: v. g. si quis videat Canonicos paratos ad eligendum Titium, atque appellet ad Sedem Apostolicam, ne talis electio fiat, allatâ ratione probabili, de quo in *cap. Consideravimus; 10. de elect.* Vel ne fiat electio, nisi Canonica. *cap. Cum nobis; 19. cap. Auditis; 29. eod.*

Ceterum extrajudicialis appellatio non est proprie dicta appellatio: nam hæc strictè sumpta supponit

Tomus 11.

nit, Judicium esse ceptum, cum sit provocatio à Judice inferiore ad Superiorem: at vero appellatio extrajudicialis potest inchoare causam, seu litem, & ideo magis propriè dicitur provocatio ad causam; quia tunc, cum interponitur, incipit causa: deinde appellatio judicialis requirit Judicem à quo, & ad quem: extrajudicialis non fit necessariò à Judice, cum possit extrajudicialiter appellari etiam à parte litigante, vel alio gravante, quàm à Judice, neque à gravamine extrajudiciali provocatur ad Superiorem, tanquam ad Judicem. Quare nomine appellationis in materia odiosa pœnali non comprehenditur extrajudicialis provocatio. *Alexand. de Nevo in cap. Cum sit; 5. num. 13. & duobus seqq. h. t.*

IV. Assertio 3. Causa, ob quas remedium appellationis est introductum, hæc sunt; ut notat Abbas in *cap. Suggestum; 15. n. 3. h. t.* Prima, & principalis est, ut gravamen iniquè oppressis illatum removeatur. *cit. cap. Susceptum; in fine.* Secunda est, ut iniquitas iudicantium, aut imperitia corrigatur. *l. 1. in princ. ff. h. t.* Ubi tamen additur, quod nonnunquam contingat, ut sententiæ latae in peius reformentur, sive, ut in causa appellationis deteriori iudicetur, quàm in prima instantia: neque enim melius pronunciet, qui novissimè sententiam laturus est, ait *ibid. Ulpian.* Tertia, ut ex propria ignorantia, vel negligentia læsus Jus suum consequi possit: nam, quæ in prima instantia Judicii non allegata, nec probata sunt, ea in secunda, seu coram Judice appellationis ab utraque litigantium parte allegari, & probari possunt, dummodo ea pertinentia sint, aut inservientia ad decisionem causæ. *l. Prolatum; 4. C. de temp. appell. cap. Cum Ioannes; 10. de fide instrum.* Quare fieri potest, ut, licet sententia prioris Judicis sit formaliter iusta, isque rectè processerit, tamen ea à Judice appellationis propter novas allegationes rescindi debeat.

Hinc inferitur, appellationem quoad substantiam esse Juris naturalis; ut tradit *Abb. in Rubric. hoc tit. num. 6.* est enim quædam defensio, seu præsidium innocentie. *cap. Speciali; 61. §. Porro, & cit. cap. Suggestum; h. t.* At vero quoad formalitatem, seu solemnitatem appellationis, ea est Juris positivi. *l. unic. C. de sententiis præf. Prætor.* ideoque quoad hanc quidem tolli, & mutari potest, non item quoad substantiam. *Abb. c. l. n. 7.*

V. Illud hæc præterea quæri potest, an alicui per privilegium concedi possit libera facultas appellandi? Ratio dubitandi est; quia privilegia ita concedi debent, ut aliquid operentur; adeoque quiddam tribuant, quod Jure communi concessum non est, juxta *cap. In his; 30. de privileg. & ibi tradit Gl. communiter recepta. V. Indulgentiam.* atqui communi Jure omnibus concessum est remedium appellationis, præsertim in causis spiritualibus ad S. Pontificem. *cap. De appellationibus; 11. & cap. seq. hoc tit.* Ergo inutile foret tale privilegium; ut alicui liberè appellare liceat. Sed hoc non obstante, responderetur affirmativè; ut patet ex *cap. 1. de Rescript.* ubi alicui à Sede Apostolica generale indultum datum est, ut liceat ei liberè appellare. Ad difficultatem verò propositam dupliciter responderi potest. Primò, per tale privilegium nihil novi

Cccc 2

alicui concedi, sed communiter concessam appellandi facultatem confirmari, idque propterea, quod propter adversariorum potentiam expediat interdum speciali provisione munitum esse. *Arg. cap. 2. De treuga, & pace. Glos. in cit. cap. 1. v. Ut liberè. Innocent. ibidem num. 4.* Secundò dici potest: cum indultum, seu privilegium, si fieri possit, ita explicandum sit, ut aliquid conferat ultra Jus commune; videtur privilegium appellandi alicui datum, ita quoque intelligendum esse, ut vi illius, ultra, quam Jure communi concessum est, appellare liceat, videlicet non tantum bis in eadem causa, sed saepius, & non tantum scripto, sed etiam absque scriptura à gravamine, aut sententia interlocutoria. *Hofstiens. in summa. num. 13. de Rescript. eodem. Laym. in cit. cap. 1. num. 2. & 3.*

S. II.

Quid sit supplicatio, & quomodo ab appellatione differat?

VI. Assertio 1. Supplicatio, in ordine ad Judicem, tribus modis accipitur. Primò latissime pro quibuscunque precibus Judici porrectis, sive ad justitiam, sive ad gratiam impetrandam. *Innocent. in c. Ex litteris; 4. num. 3. v. Supplicavit de in integr. restit.* Secundò latè pro petitione restitutionis in integrum contra latam sententiam, quando scilicet, præter læsionem, allegatur causa probabilis, ob quam Judex ex officio succurrere debeat læso, eumque restituere, sive ob imbecillitatem atatis, sive ob favorem publicum Ecclesiæ, sive propter absentiam, aut ignorantiam probabilem, vel aliam similem causam; quia restitutio in integrum, partim nititur justitiâ, partim annexam habet gratiam. Tertio strictè accipitur supplicatio, per quam, allegatâ læsione, sive gravamine, petitur, ut sententia lata contra supplicantem retractetur, ex mera gratia, & benignitate Principis; quia ordinariæ appellationis remedium contra illum non competit, cum à sententia supremi Principis non possit appellari; ideòque æquum videtur, ut extraordinariè ei succurratur per supplicationem. *Abb. in cit. cap. Ex litteris; n. 6. & in cap. seq. num. 17. Marant. de ord. judic. p. 6. tit. de appell. num. 13.* Talis autem supplicatio non potest fieri ad Judicem inferiorem; quia nemo, nisi solus Princeps, potest sententiam Judicis, per quam Jus questum est parti, rescindere, illudque ei auferre, præterquam in casibus Jure concessis. At verò supplicatio latè sumpta, non solum potest dirigi ad supremum Principem, sed etiam ad inferiorem Judicem; quia per illam imploratur Judicis officium, quod ipse, cum causæ cognitione, impartiri debet petenti. *Laym. in cit. cap. Ex litteris; n. 5. de hac re aliquid etiam dictum fuit supra lib. 1. tit. 41. num. 31. & 32.*

VII. Assertio 2. Supplicatio strictè sumpta differt ab appellatione, in primis in eo, quod hæc (sicut & supplicatio latè accepta) suspendit sententiæ executionem, non item supplicatio strictè sumpta: sed cautio præstari debet ab eo, pro quo lata est sententia de restitutione faciendâ, si supplicans causam obtinebit, juxta *Auth. Quæ supplicatio. C. de precib. Imper. offe-*

rend. Abb. in cap. Suscitata; n. 10. de in integr. restituendâ etiã rationem diversitatis dat; quia supplicatio non admittatur ex mera gratia Principis, non debet impetiri executionem sententiæ: appellatio verò nititur justitiâ; ideòque per illam impeditur executio sententiæ. Secundò differunt; quia appellatio debet fieri intra decem dies, supplicatio autem potest institui usque ad biennium, ita tamen, ut, si intra infra decem dies, post latam sententiam, sed intra duos annos supplicatio fiat, sententia executioni mandetur, etiam sine præstita satisfactione. *cit. Abb. Quæ supplicatio. Abb. in cit. cap. Ex litteris; num. 1. Marant. cit. loc. num. 15.* Tertio. Appellatio fit ad alium Judicem Superiorem: supplicatio verò potest sumi ad eundem Judicem, qui sententiam tulit. *cit. Auth. Quæ supplicatio; & ibi Glos. v. Prestita. Marant. cit. loc. num. 17.* Quarto. Appellatio est remedium ordinariæ, & fundatur in iustitiâ: verum enim species quædam defensionis: supplicatio verò strictè sumpta est remedium extraordinariæ, & conceditur ex mera gratia Principis. *Marant. cit. loc. num. 15.* Quintò. Appellari potest, etiam lite pendente, à quocunque gravamine, ante sententiam definitivam; non autem licet ante illam supplicare, nisi in certis causis. *l. 2. C. Ut lite pendente & c. Marant. cit. loc. num. 20.* Sextò. Etsi permillum sit bis appellari sententia lata contra victum, non tamen supplicari super eadem causa, nisi semel. *l. Supplicatio; §. C. prec. Imper. offer. Marant. cit. loc. num. 21. qui præres differentias adfert inter appellationem, & supplicationem.*

Porro utriusque, tam appellationis, quam supplicationis admissio eò tendit, ut causæ auditio à novo concedatur, ad hoc, ut appareat, num sententia prius lata rescindenda, an verò confirmanda; prout habetur in *cit. cap. Ex litteris; in fine. Id verò intelligendum est de ijs casibus, quibus sententia Jure est valida: nam, si condemnatus, eam nullam esse probare velit; quia v. g. Ordo judicarius non observatus, *l. Prolatam; 4. C. de sentent. & interl. jud. actionem contra Judicem instituere poterit, nec necessarium erit extraordinarium supplicationis remedium; quia hoc tendit ad rescindendam sententiam, causâ tamen prius cognitâ, sicut & appellatio. Laym. in cit. cap. Ex litteris; n. 5.**

VIII. Illud hic addendum, supplicationis esse ne esse beneficium revisionis, quod ad exemplum supplicationis introductum est posterioribus Constitutionibus Imperij: nam, cum à sententiis Camera Imperialis, vel à Prætorio Principis, appellare liceat, permillum est ei, qui se gravatum putat, post acta Judicij revideri, id est, recognosci à Revisoribus Camera, & retractari sententiam, si actis contentum non sit: qui ordinariam Jurisdictionem habent, non sunt: qui ordinariam Jurisdictionem habent, non sunt: qui ordinariam Jurisdictionem habent, non sunt. *Gail lib. 1. obs. 153. n. 1. & obs. 154. num. 1.* Differt autem revisio à supplicatione, quod hæc executionem sententiæ non impedit, seu suspendit, nec ea suspenditur per revisionem, donec causâ cognitâ constare possit, num sententia rescindenda, confirmanda, vel reformanda sit. *Gail cit. obs. 154. n. 3. & 4.*

SECTIO II.

DE IIS QUI APPELLARE
possunt.

§. I.

Quibusnam in genere appellare per-
missum sit?

IX. Assertio prima. Appellare potest, non solum is, contra quem sententia lata est, sed etiam quilibet alius, cuius interest, ex aliqua causa, non fuisse ita iudicatum, seu cui ex sententia præiudicium, vel damnum provenire posset, tamen si sententia contra alium lata sit, & ipse in iudicio non intervenerit. *c. Non solent*; 30. *caus. 2. q. 6. l. 1. ff. De appell. recip. l. Ab executore*; 4. §. *Alio condemnato*; *l. a sententia*; 5. *in princ. ff. h. t. si fideiussores pro eo, pro quo intervenerunt, appellare possunt à sententia, contra Principalem lata. Gl. ibid. v. Pro eo; junct. Gl. margin.* Idque sumitur etiam ex *c. Cum super*; 17. *tit. præc. ubi tertius, nempe Episcopus quidam, ad appellandum admissus fuit à sententia lata contra Monasterium, quod ipsi subiectum asserebatur; quia se gravatum existimabat; idque etiam constat ex c. Inter; 16. de elect. ubi dicitur, appellationem ei concessam non esse, cuius non interest: ex quo per contrarium sensum colligitur, si alicuius interest, appellationem ipsi concedi. Imò est unus casus specialis, in quo cuilibet etiam extraneo, sine ullo mandato, appellare licet, quamvis eius non interest, si videlicet aliquis ad supplicium ducatur, quem alius innocentem ostendere velit; ideòque, differendum esse iudicium, dicat, tamen si condemnatus ad mortem sit invitus, & mori malit, & sive appellans sit necessarius, seu conjunctus condemnati, sive non; ut constat ex *l. Non tantum*; 6. *ff. h. t.**

X. Assertio secunda. Licitum est appellare, non tantum, si alicuius interest suo nomine, sed etiam, si alieno; ut, si quis alicuius procurator sit constitutus, vel alienum negotium gerat, modò dominus mox id ratum habeat. *cit. c. Non solent*; *junct. Gl. v. Mox*; *l. 1. ff. De appell. recip.* Similiter tutores, & curatores appellare, & appellationem prosequi tenentur, nomine pupillorum, vel minorum. *l. Tutor*; 27. *ff. h. t. l. 2. ff. Si tutor, vel curator appella. Durand. in spec. lib. 2. part. 3. tit. de appell. §. 1. n. 3.* Item affectionis, ac necessitudinis causa, non solum pater, sed etiam mater pro filio, cuius causa deferta est, appellare potest. *cit. c. Non solent. l. 1. §. 1. ff. De appell. recip.* Vicissim autem, & filiusfamilias, si pater eius succubuit, agens de peculio profectitio, vel adventitio, nomine illius appellare potest, etiam sine mandato. *l. Ex consensu*; 23. §. *Filiusfam. junct. Gl. v. Non nisi patris. ff. h. t. sed, & quilibet dominus sicut agere, ita & appellare potest, nomine suorum subditorum, etiam absque mandato, quorum causa ipsum quoque concernit. Durand. c. l. n. 15. Gail. lib. 1. obs. 25. n. 7.* Item Dominus appellare potest, nomine tervi sui, qui personam standi in iudicio legitimam non habet: si tamen servus criminaliter fuit condemnatus, & nec

dominus, nec alius, loco domini, à sententia appellavit, ipsi servo, qui sententiam tristem passus est, appellationis auxilium adversus sententiam imploranti denegatur. *l. Servi*; 15. *ff. h. t. Hostiens. in summ. n. 3. in rubr. de appell.* Denique ob eandem rationem Clericus, & Monachus in causa Ecclesiæ suæ, vel Monasterii appellare potest, si Ecclesia gravetur; quia eius quodammodo interest, cum sit membrum Ecclesiæ. *Laym. in cit. c. Cum inter; de elect. n. 2.*

XI. Assertio tertia. Interdum etiam utraque pars litigantium appellare potest à sententia lata, quatenus ea ipsis contraria est: nam sententia iudicis plures articulos continere potest, in quorum uno pars, v. g. accusata, seu Reus condemnatur, in altera verò absolvatur; tunc enim utraque pars appellare potest à sententia, quatenus sibi adversatur; ut docet *Gl. in c. Significaverunt*; 11. *v. Absolvit; supr. de except. c. Abb. ibid. n. 7.* ut si v. g. Actor petebat, partem adversam ad expensas litis condemnari, ab eaque petitione repulsam tulit; cum tamen in causa principali obtinuerit: tunc enim etiam victor in causa principali appellare potest, ratione expensarum sibi negatarum. Verumtamen ad hoc, ut victor (si victus non appellet) propter expensas appellare possit, necesse est, ut eas petiverit; quia appellationi locus non est, si Judex aliquid intermitteret, quod parte non petente, ex officio agere poller, vel deberet; ut docet *Abb. in cit. c. Significaverunt*; n. 10. v. g. si excommunicatum Actorem ex officio non repellat; quia Judex non tenetur impendere officium suum in commodum privati, si ab eo id non imploratur: quare etiam in hoc casu, licet Judex ex officio partem victam ad expensas condemnare possit, ac quandoque debeat. *Auth. de iudicib. §. Oportet; collat. 6. c. Calumniam*; 4. *de penis*; non tamen concedenda est appellatio, si pars expensas litis non petiverit, saltem generatim, petendo in libello; ut omni meliore modo iustitia sibi administraretur; sic enim pars iudicis officium implorasse censetur, tam super principali, quam super accessorii. *Gail. l. 1. obs. 25. n. 21.* Dixi supra: si victus non appellet: nam appellante victo simpliciter à sententia, potest victor consequi expensas per appellationem adversarii, quæ suspendit totam sententiam, licet contineat plures articulos: ac proinde, cum possit consequi suum intentum, etiam si ipse non appellet, non debet appellare dehonorestando iudicem. *Abb. c. l. n. 7. c. 8.* Deinde, licet victor non possit appellare; quia Judex omisit condemnare victum in expensas, si eas non petiit, ut dictum: probabilius tamen est, quòd possit eas petere in causa appellationis, etiam si non petierit in causa principali, sive in prima instantia; quia istud capitulum, sive articulus expensarum non est omnino novus, sed pendet ex veteri, cum sit accessorium quid ad causam principalem; ut docet *Alex. de Nevo in cit. c. Significaverunt*; n. 19. c. 20. *contra Abb. ibid. n. 10.*

Verumtamen in quibusdam Tribunalibus consuetudo viget; ut sumptus litis, quos victor fecit parti adversæ, remittantur, nisi appareat, vel præsumptio sit, quòd per calumnias, vel sciens causam injustam se habere, in iudicio contenderit, aut malitiosè causam protraxerit. Id verò communi iure receptum, & æquum est; ut pars victa non condemnatur ad expensas; si litigavit in iudicio, ex probabili

pellationem etiam quoad se approbasse, nec potest dici, ipsum tacite ratificasse priorem sententiam, non appellando; quia sciebat se tutum appellatione alterius ex juris dispositione, & illam sibi quoque prodesset; ut tradit. *Abb. in cit. c. pen. n. 4. h. t.*

XV. Assertio secunda. Et si in supra dictis casibus sententia lata in favorem unius proficit etiam alteri correo, non tamen vice versa, sententia lata contra unum semper nocet alteri correo quoad condemnationem; ut constat ex *c. Interrogatum; 24. & ibi Gl. V. Proficitur; caus. 2. q. 5. & sumitur ex c. Significasti; 5. de adulter. nam, si mulier v. g. confessa sit in Judicio, se adulterium cum Titio commisisse; ideoque condemnata sit, id non sufficit ad condemnandum quoque Titium; prout etiam patet ex *l. Denunciaste; 17. §. Quæritur; ff. Ad leg. Jul. de adulter. ubi habetur, quod, si adulter per sententiam absolutus sit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest: si condemnatus fuerit, mulier non ideo est condemnata: & sic sententia absolutoria lata pro uno prodest etiam correo, non autem condemnatoria unius obest alteri correo. Ratio est; quia fieri potest: ut unus ex correis ex metu, vel errore sit confessus, vel per falsos testes convictus; vel saltem alteri non debet auferri necessaria defensio.**

§. III.

De aliis nonnullis in specie, de quibus dubium esse poterat, an appellare possint?

XVI. Assertio prima. Qui juravit, se pariturum mandatis Ecclesiæ, potest, non obstante tali juramento, à sententia, aut præcepto, quo se injustè gravari putat, appellare; prout sumitur ex *c. Ad hæc; 20. h. t. ubi statuitur: Si quidam jurent, quod Ecclesiæ Judicio, seu mandatis stare velint (quia v. g. excommunicati fuerant) & postea appellent, hoc casu, compelli debent; ut vel juramentum servent (parendo mandatis Ecclesiæ) vel intra XL. dies, post appellationem interpositam, iter arripiant ad ipsam prosequendam. Ubi tamen *Gl. V. Infra; 40. dies; ait; Judicem non arctari ad hunc terminum, nisi secundum quod ipsi visum fuerit, juxta c. Personas; 4. h. t. nam, quando constat, appellationem repugnare juramento, ea in dubio admitti debet, si appellans se injustè gravatum asserat, & ideo alternativè dicitur in hoc c. ut vel juramentum servent, vel appellationem prosequantur; ut notat *Abb. hic n. 3. & tradit quoque Gl. in c. Prout; 4. V. Cautionem; de dolo, & contum. & Gl. in c. Quod bene; 6. caus. 6. q. 4. V. Definitum est; ubi ait, quod is, qui juravit stare, vel parere sententiæ Judicis, vel mandato alicujus, possit nihilominus appellare. Ratio est; quia juramentum generaliter præstitum, interpretari oportet, secundum limites juris, aut justitiæ, neque ultra est extendendum; ut in proposito, quod jurans intenderit se obligare ad parendum sententiæ, vel mandatis Ecclesiæ, si ea justa sint, vel quatenus jura exigunt. *Laym. l. 4. tract. 3. c. 9. n. 2. cum itaque parti litiganti ex justa causa de jure communi appel-****

lare concessum sit; ideo juramentum talem conditionem, & interpretationem recipit, quod jurans obtemperare Judici velit, quatenus de Jure obligatur, & nisi indebitè gravet. *Abb. hic n. 5.*

XVII. Extenditur autem prædicta assertio, quod, licet quis jurarit, se statutum sententiæ Judicis, quomodocunque, aut qualiscunque lata fuerit, nihilominus appellare ab ea possit, ex justa causa; quia, ubi requiritur specialis expressio, ibi non sufficiunt verba generalia, etiam si prædicto modo geminata sint; ut docet *Peir. Ancharan. in c. 2. de præb. in 6. nor. 3. & Franc. ibid. n. 3. ubi dicunt: Si Papa alicui Episcopo det facultatem conferendi beneficia Clericorum suæ Diocesis vacantia, aut in posterum vacatura, quomodocunque, & qualiacunque; non tamen possit, vi talis concessionis, conferre beneficia vacantia in Curia Romana; quia de his fieri debet specialis, & expressa mentio: at verò non censetur etiam renunciatum appellationi, nisi id specialiter fuerit expressum, juxta *l. fin. §. ult. C. De temp. appell. & ibi DD. Barb. in Collectan. in cit. c. Ad hæc n. 4. quamvis contrarium post Baldum teneat Alex. de Nevo ibid. n. 11. & 12. saltem tunc, quando verba illa geminata, si non importarent renunciationem appellationis, nihil omnino operarentur, & essent superflua.**

XVIII. Verum huic doctrinæ è diametro advertari videtur *text. in c. Quæstioni; 21. h. t. ubi talis casus proponitur: Aliquis ob delictum (v. g. ob Clerici percussorem; vel, quia alienam uxorem detinebat, ut notat *Gl. hic V. Deferendum) excommunicationem incurrit (sive à jure, sive ab homine latam) sed postea, priusquam absolveretur, juravit, sicut moris est, se mandatis Ecclesiæ pariturum. Verum, antequam mandatum acciperet, vel post susceptum mandatum, subterfugii causâ appellavit. Unde quæsitum fuit, num appellationi eius esset deferendum, seu illa admittenda? Respondit Papa Alexander III. non esse deferendum appellationi, quæ juramento eius deroget, seu præjudicet; sed in eandem, à qua absolutus fuit, excommunicationem esse reducendum, nec ab illa iterum absolvendum, nisi prius mandatum Ecclesiæ susceperit, & illud, quatenus ipsi possibile, fuerit executus.**

XIX. Hinc colligitur primò discrimen inter decisionem huius, & præcedentis c. nam in priore c. admissa fuit appellatio; quia facta fuit, ex justa causa, videlicet à gravamine injustæ sententiæ: neque ea erat contra juramentum appellantis; quippe quod se tantum extendebar ad sententias, & mandata justa. At verò in casu posterioris c. appellatio repugnat juramento prius præstito; quia absolutus ab excommunicatione, priusquam reciperet mandatum Ecclesiæ, vel post illud susceptum, contra illud frivole, & subterfugii causâ appellavit, & sic, cessante justo gravamine, non potuit habere locum appellatio, quæ, cum sit inducta in præsidium innocentiam, non debet fieri præsidium perjurii, & iniquitatis. *c. Præterea; 22. h. t. Gl. in cit. c. Quæstioni. V. Deferendum; & Abb. ibid. num. 5.*

Colligitur secundò. Si quis ob delictum fuit excommunicatus, sed postea juravit, se pariturum mandatis Ecclesiæ; ideoque ab ea absolutus, nihilominus tamen contumaciter parere nolit, tum reindij

didit in priorem excommunicationem, non quidem ipso jure, seu facto, sed per sententiam Judicis in illam reduci debet, nisi jure statutum sit; ut contumaciter non parens in eadem sententiam ipso jure reincidat: ut in *cit. c. Eos; 22. de sent. excom. in 6. Abb. hic n. 3.*

XX. Assertio secunda. Licite appellat Reus, si non audiatur excipiens in Judicio, procuratorem Actoris non habere mandatum sufficiens, vel, quod ipse prius fuerit conventus coram alio Judice, cui causa commissa fuit per litteras Papæ, vel alterius Principis, de quibus secundæ litteræ posterius impetratæ non faciunt mentionem; prout statutum habetur in *c. Significavit; 48. h. t.* Nam, cum Presbyter B. electus fuisset in Rectorem, seu Magistrum Hospitalis Eboracensis, eum Archiepiscopus eiusdem Ecclesiæ confirmavit, & instituit; quia id jus sibi competere, asserbat: sed postea Decanus, & Capitulum Cathedrale se opposuerunt; quia, dicebant, institutionem eiusdem ad ipsos pertinere; impetrarunt litteras à Papa ad Judices delegatos, coram quibus Magister Hospitalis exceptit, & objectit, procuratorem, seu Actorem Capituli, vigore illarum litterarum, admittendum non esse: tum quia illæ obsignatæ erant eo sigillo, quo Capitulum uti solebat ad citationes tantum; cum tamen ad instrumenta, & alias litteras aliud sigillum adhiberet: tum quod ipse Magister hospitalis jam antè per alias litteras ad alios Judices fuerit citatus; ideòque per posteriores, in quibus nulla fit mentio priorum, conveniri non possit. Verum, cum Judices has exceptiones non admitterent, ipse ad Papam Innocentium appellavit. Quare is mandat aliis à se delegatis; ut, si ipsis constiterit, ob causas prædictas, vel unam illarum, appellatum fuisse, in irritum revocent, quidquid post appellationem factum; & citatis partibus, in causa procedant. *Gl. fin. hic.*

XXI. Hinc colligitur primò. Ut sigillum plenam probationem faciat, debet ad illum usum adhiberi, & produci, ad quem est destinatum: alioquin, si ad alium usum adhibeatur, quam soleat adhiberi, non censetur authenticum, nec certam fidem meretur; ut in casu huius *c.* contra procuratorem Capituli fuit exceptum, quod habeat tantum mandatum ad citandum, non ad agendum; quia litteræ procuratoris erant solum obsignatæ sigillo adhiberi solito ad citationes, non ad alios actus; quia in his attendi debet ad consuetudinem mittentis, vel mandantis. *Abb. hic n. 7.* ex quo inferit: si dominus famulo suo annulum tradere soleat; ut ipsi fides habeatur, si illum exhibeat, & petat rem aliquam ad dominum deferendam; tum ipsi tutè credi potest, nisi præsumptio sit in contrarium; ut in rebus gravis momenti; vel probabilis suspicio sit, famulum annulum subtraxisse.

Colligitur secundò. Si quis sit conventus in Judicio, vigore priorum litterarum, quæ impetratæ sunt ad Judices delegatos, non potest postea conveniri per posteriores litteras, in quibus non fit mentio priorum; quia hæc censentur subreptitiè impetratæ, & si Reus conventus contra has excipiat, & Judex eum non admittat, potest ab isto tanquam gravatus appellare; ut patet ex hoc *c.*

Colligitur tertio. Si quis appeller ex pluribus causis copulativè propositis in libello, quarum quilibet per se sufficit ad appellandum, non tenentur omnes probare; sed satis est, si vel unam, seu aliquam probet. *Gl. hic V. Aliquam; & Abb. n. 5.*

XXII. Assertio tertia. Si reus conventus actione reali petat, rem petitam in libello ab Actore declarari, seu obsignari, & non audiatur à Judice licite appellat; quia indebitè gravatur, & committitur, quæ post appellationem attentata sunt, revocantur; prout sumitur ex *c. Significavit; 49. h. t.* quod de verbo ad verbum consonat cum *c. 1. de libell. oblat.* & suprâ explicatum est *tit. 3. n. 10.* Potest non superflue hoc loco repetitur istud *c.* quia licet ponitur in ordine ad alium effectum, quam ibi statim in *cit. tit. de libell. oblat.* ponitur ad ostendendum, quæ in libello petitur, ita clarè in eo exprimitur, esse, ut omnis ambiguitas cesset: hic verbò idem denuo ponitur, ad ostendendum, quod, si à Judice petatur, ut libellum declaret, & is id non faciat, licet ab eo appellari possit. *Abb. hic.*

XXIII. Assertio quarta. Si is, qui desinit tutor, vel etiam, si mater desinit esse tutrix filiorum nomine pupilli, vel pupillorum in Judicio convenitur, cum invitus, vel invita conveniri non possit, licite potest appellare; ut constat ex *c. Ex parte; 49. h. t.* ubi habetur, quod nobilis mulier de Hellesbron nomine filiorum suorum, litteras à Papa Gregorio IX. impetravit contra Dominum de Colastro in controversia, quæ erat super quibusdam fundis cum filiis eiusdem domini, ad Judices delegatos, coram quibus ipsa excepit, quod filii sub potestate, & tutelâ ipsius esse desierint, postquam ipsa ad secundas nuptias transivisset; ideòque super hac causa pro filiis respondere non teneatur, cum ipsorum tutrix esse desierit. Verum, quia Judices exceptione hac non admittit, nihilominus eam ad respondendum compellerent, ipsa sentiens, se gravari, ad Pontificem appellavit: qui mandavit aliis Judicibus; ut, si ita esse cognoverint, in irritum revocent, quidquid post appellationem attentatum repererint, & audiant postmodum hinc inde proposita.

XXIV. Pro explicatione huius *c.* Notandum primò. Pupillus est sub potestate tutoris, ut potestatem ipsius gubernet; ut patet ex definitione tutoris, quæ est vis, ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, Juris civilis data, ac permessa. *§. 1. Instit. de tutel. l. 1. l. 1. eod.* Aliud est de curatore, qui principaliter datur bonis, non personæ; ideòque minorem non habet in potestate. *l. 2. c. De nuptiis. Abb. hic not. 1. quævis aliquam etiam curam personæ minoris habet, saltem secundariò. Gl. fin. in §. Certa Instit. qui non potest dari poss.*

Notandum secundò. Tutor, finitè tutelæ, non potest amplius conveniri, nomine pupillorum, sed per causas, seu litibus de novo inchoandis, seu post mortem: sin autem cæptâ, & pendente adhuc litæ, tutela finiatur; tunc tutor litem prosequi debet, & administratio in curatorem sic translata, post pupilli pubertatem. *l. unic. junct. Gl. V. Casarum. c. 1. causa post pubertat. etc. Abb. hic not. 3.*

Notandum

Notandum tertio. Mater, si velit, potest esse tutrix liberorum, post mortem patris ipsorum, sicut & avia tutrix nepotum, ita, ut alijs legitimis, & dative tutoribus preferatur, non autem testamentarijs, qui à patre in testamento dati sunt: requiritur tamen, ut mater renunciet, etsi sine juramento, secundis nuptijs, & SC. Velleiano; ut habetur in Auth. *Matri, & avie*; C. *Quando mulier tutor. offic. fung. pot.* & omni alij auxilio; ut addit *Gl. ibid. V. Velleiani*; alioquin verò, si mater transiens ad secundas nuptias, non facta prædicta renunciatione, administrat tutelam, quidquid agit, invalidum erit; ut docet *Abb. hie num. 5.* quia præsumitur, mulierem non tute administratorem tutelam, & bona filiorum dissipaturam, propter affectum erga secundum maritum.

XXV. Notandum quarto. Si mater ad secundas nuptias transeat, amittit tutelam filiorum; ut constat ex Auth. *Sacramentum*; C. *quando mul. tut. offic. & c. Ex Auth. Vt sine prohibet. Matres. §. Quia verò multam; collat. 7. & ex hoc c.* Et quidem ipso jure, seu facto, munere tutela privatur; etiam sine Indicis sententia; ut colligitur ex *cit. c. Ex parte*; & ubi *Gl. V. Sub potestate*; ibi ait: Quam cito mater convolat ad secundum matrimonium, tutela soluta est, ac si mortua esset; quia hoc ipso videtur renunciare tutela, cum eo itatu ex juris dispositione impossibili. *Sanch. lib. 7. de matrim. dis. 88. num. 10.* Nec obstat, quòd in *cit. Auth. Sacramentum*; dicitur, contractus secundis nuptijs, expelli eam à tutela convenit, vel per sententiam Judicis; quia id intelligi debet de expulsionem facti, quasi ipso jure eam amittat, *Sanch. c. l.* Porro amittit mulier tutelam, etiam si secundum matrimonium non sit consummatum, sed ratum tantum; quia in eo suspicio malæ administrationis reperitur. *Sanch. c. l. non. 6.* imò etiam per matrimonium invalidum, secuta carnali copula; saltem in foro externo; quamvis in foro conscientie non perdat ante Judicis sententiam, cum non sit verum matrimonium. *Sanch. c. l. num. 7.* sed & probabilis est, talem matrem amittere tutelam filiorum etiam testamentariam, si sit data in testamento patris tutrix; quia textus supra allati generaliter loquuntur & militat eadem ratio, præsumptio scilicet malæ administrationis. *Sanch. c. l. num. 8.* & alij apud ipsum: non tamen amittit per sponsalia de futuro; quia in *cit. Auth. Sacramentum*; requiritur, ut sint contractus secundæ nuptiæ, & cum hæc sit pœna, non debet extendi; accedit, quòd mulier possit renunciare sponsalibus, & cessabit suspicio. *Sanch. c. l. n. 5.*

Quod autem dictum est, matrem amittere tutelam filiorum per transitum ad secundas nuptias, id etiam procedit; si sit curatrix filiorum; quia dispositum in uno, habet locum in alio, ubi est eadem ratio, vel æquitas. *Gl. in cit. Auth. Matri, & avie; V. Tutelam; Abb. hie num. 10. Sanch. c. l. num. 11.*

Notandum quinto. Si mater nolit esse tutrix filij impuberis, tutorem à Indice petere debet, infra annum à die mortis paternæ, nisi legitimus tutor adsit, vel, si transeat ad secundas nuptias; alioquin privabitur successione in bonis filij decedentis in impubertate. l. 2. §. *Confestim*; ff. ad SC. *Trebell. l. 3. junct. Gl. V. Matris*; C. *eod.* Idemque est de quolibet alio, qui ab intestato succedit pupillo morienti, infra pubertatem: nam privatur hereditate, si intra

Tutus 11.

annum viventi tutorem non petiverit. l. *Sciant*; §. 10. C. *de legit. hered. Abb. hie. num. 9.*

§. IV.

De ijs, quibus non est permissum appellare.

XXVI. Appellare inprimis non potest is, qui tribus Edictis, vel uno peremptorio, citatus dicit, se nolle venire; idèoque ob veram contumaciam condemnatus est. l. *Ex consensu*; 23. §. *fin.* & ibi *Gl. V. Non recte provocasse*; ff. h. t. l. *Contumacia*; §. 3. & ibi *Gl. V. Litis damno*; ff. *de re judic. Marant. p. 6. de ordine judic. tit. de appell. num. 273.* & num. 274. ubi ait, quòd ille dicitur verus contumax in proposito, qui fuit personaliter citatus, vel ad domum; ita tamen, ut postea citatio pervenerit ad eius notitiam, & potuit venire in termino, & non venit. l. 1. C. *quor. appell. non recip.*

Secundò. Non potest appellare, qui sententiam contra se latam expressè, vel tacite, ipsòque facto approbavit; adeòque appellationi expressè, vel tacite exercendo actum in contrarium, renunciavit. c. *Gratum*; 20. & ibi *Gl. fin. de offic. & potest. jud. deleg. l. ult. §. fin. C. de temp. appell. de quo plura infra.*

XXVII. Tertio. Si quis adversarij sui legitimæ appellationi non detulit, postea admitti non debet, si ipse in eadem causa, seu negotio appellare velit; ut constat ex c. *Constitutis*; 23. h. t. Nam, cum vacante Ecclesiâ Torrellanâ, Canonici ad electionem Episcopi convenissent, Archidiaconus nominavit C. contra quem mox ab alijs obiectum fuit, quòd excommunicatus esset (idem esset, si suspensus fuisset; quia suspensi, & excommunicati, nec eligere, nec eligi possunt. *Gl. hie V. Excommunicationis*) idèoque appellatum, ne eligeretur: sed hoc non obstante, Archidiaconus, & pauci quidam alij eundem eligere perrexerunt, & ne aliquid contra eam electionem attentaretur, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Nihilominus tamen hæc electione non obstante, Primicerius, cum reliquis Canonicis, & Plebanus, cum assensu Clericorum Episcopatus, vel maioris, & sanioris eius partis, alium quandam in Episcopum elegerunt. (ex consuetudine scilicet, vel speciali privilegio; quia de jure communi electio Episcopi ad solos Canonicos spectat. *Alex. de Nevo hie num. 7. & 8.*) Hac controversiâ delatâ ad Papam Alexandrum III. is respondit, si Archidiaconus, uti narratur, appellationi prius factæ non detulit; tum non obstante eiusdem appellatione, electionem postea ex consensu maioris partis Cleri factam, Apostolicâ auctoritate, confirmandam esse. Porro prior illa sive nominatio, sive electio ex tribus causis irrita fuit; quia post extrajudicalem appellationem interpositam, & de excommunicatione denunciato, & à minore parte eligentium facta fuit; sed posterior electio à maiore parte; idèoque prævaluit. Archidiaconus verò appellare non poterat, cum ipse appellationi priori factæ non detulerit. *Gl. hie.*

XXVIII. Idem expressè statutum habetur in c. *An sit*; 42. h. t. ubi talis casus proponitur: Titius v. g. cum adverteret, Caium paratum ad se spoliandum, appellavit, ne quid attentaretur: sed Caius non obstante hac legitimâ appellatione, ipsum spoliavit,

D d d

quare

» quare Titius spoliatus contra spoliatorem Caium
» actionem instituit, offerens se incontinenti proba-
» turum spoliationem, contra quod tamen etiam
» Caius appellavit. Ad hoc respondit Papa Cae-
» lestinus III. hoc casu, appellationem Caij spolia-
» toris recipiendam non esse, cum in eo quis punien-
» dus sit, in quo deliquit, & qui appellationi alterius
» deferre neglexit, beneficio appellationis indignura
» se reddit. Ratio est; quia, quod quisque juris in a-
» lium statuit, convenit, ut & ipse eodem jure utatur.
l. 1. ff. *Quod quisque juris* & c. neque adiuvatur edi-
cto, qui contemnit editum: & frustra legis implorat
auxilium, qui committit in legem. c. ult. de immunit.
Eccles. & c. *Quia*; 14. de usur. & l. *Auxilium*; 17. in
fine. ff. de minorib. *Alex. hic num. 6.*

XXIX. Ceterum, quod dictum est, cum quis
adversarij sui appellationi non detulit, eum audiendum
non esse, si postea appellare velit, id limitari debet.
Primo, ut solum procedat, si quis appellationi legitimi-
me factae non detulerit; ut colligitur ex cit. c. *An sit*;
ibi: post appellationem legitime interpositam: secus, si
non esset legitima, sed frivola; quia tunc non est ei de-
ferendum, & cessaret poena huius c. *Alexand. hic
num. 6.* & potest pars altera petere, ut instituat
processus ad defendendum jus suum, quod in defen-
sum relinquere non debet, & postea, si necesse sit,
appellare. *Arg. l. Illud*; 40. in princ. ff. de petit. hered.

Limitatur secundo, tradita doctrina, ut solum pro-
cedat, si duae appellationes interponantur circa ean-
dem causam, sive idem negotium: secus, si circa di-
versas, quae ordinem, seu connexionem inter se non
habent: nam, etsi hoc casu, qui post appellationem le-
gitime factam, ea pendente, quidpiam innovavit, seu
mutavit, puniendus sit; quia non detulit appellationi
adversarij: non tamen idcirco prohibetur, quod mi-
nus in alia causa legitime appellare possit; & sufficit,
quod semel punitus sit. *Gl. fin. hic. Arg. c. Dilectus*;
55. h. t. ubi, licet Decanus non detulerit appellationi
legitimae Episcopi, debuit tamen Episcopus deferre
appellationi Decani super alio articulo interposita;
ideoque excommunicatio per Episcopum lata, post
appellationem Decani ad Sedem Apostolicam, non
tenuit. *Abb. hic num. 4. & 5.* Vnde Innocentius in
6. pen. de adulter. num. 4. ait, quod illa Regula: Frustra
auxilium invocat, qui commisit, seu deliquit in le-
gem: tunc locum habet, quando, circa idem adver-
sus legem deliquit: secus, si non circa idem.

XXX. Quoad Appellare non potest confes-
sus in Iudicio, propria voce, & non per procurato-
rem, & sponte, non vi tormentorum, & simul con-
victus clara, & non dubia sive plena probatione per
idoneos testes, vel alia argumenta, idque tam in ci-
vilibus, quam in criminalibus causis. l. 2. C. quor. ap-
pellat. non recip. quae lex etsi loquatur tantum de quin-
que criminibus, idem tamen videtur in ceteris, & in
causis pecuniarijs; ut tradit *Gl. ibid. V. Propria*; eaque
lex est canonizata in c. *Ei qui*; 41. §. *Nullus etiam*;
caus. 2. q. 6. ac proinde nullum quoad hoc discrimen
est inter Ius Civile, & Canonicum; ut tradit *Abb. in c.
Speciali*; 61. §. *Porro*; num. 5. h. t. *Marant. c. l. num.
281. Farinac. in praxi crimin. q. 101. num. 114.* & ra-
tio est; quia talis appellatio praesumitur interposita
subterfugij, & calumniae causa, *Farinac. ibid. n. 115.* Si
verò quis sit tantum confessus in Iudicio, sed non con-

victus, hoc casu, si non revocavit confessionem factam,
& appellat, nullam expressam causam rationabilis, quae ex-
culat confessionem factam, talis appellatio habet ef-
fectum devolutivum, non autem suspensivum: hoc
est, Iudex a quo non tenetur quidem deferre huius-
modi appellationi; tum quia confessio judicialis non
revocata, vel excusata inducit notorium, in quo non
admittitur appellatio, ut infra dicitur; tum quia ex
Iuris utriusque dispositione, non auditur quis contra
id, quod dilucide est confessus. c. *Per tuas*; 10. de pro-
bar. l. *Generaliter*; 13. C. de non numer. pecun. ac pro-
inde Iudex a quo ante inhibitionem, potest exequi
sententiam a se latam: attamen Iudex ad quem po-
test admittere appellationem, & Iudici a quo inhibere
executionem sententiae, juxta c. *Romana*; 3. §. *Si ca-
rem*; h. t. in 6. quia appellans potest revocare con-
fessionem suam coram Iudice appellationis, si illam
non revocavit prius coram Iudice a quo, docendo
se per errorem facti esse confessum in priore Iudicio,
ut docet *Gl. in cit. c. 3. V. Vel de quo*; & *Dari. in cit. l.
2. in fine C. quor. appellat. non recip.* Quod si causa in-
serta sit appellationi, allegando errorem confessionis,
tunc etiam Iudex a quo tenetur illi deferre, necesse
potest exequi, etiam ante inhibitionem Iudicis su-
perioris; adeoque, si causa expressa fuit, quae iustificat
appellationem, ea admittenda est, & suspendenda
executio sententiae. *Abb. c. l. Marant. c. l. num. 111.
Farin. cit. q. 101. num. 157. & seq.* Si quis desitque
de crimine, vel facto tantum sit convictus, sed non
confessus, adhuc potest appellare, utroque jure, ex-
ceptis casibus, in quibus sufficit Reum esse convictum
propter immanitatem criminis. cit. l. 2. C. quor. ap-
pell. non recip. junct. *Gl. V. Propria. Farinac. cit. q. 101.
num. 131.*

S E C T I O III.

DE SENTENTIIS, VEL ACTIBUS,
a quibus appellari potest, vel non
potest.

S. I.

A quibus sententijs, & in quibus
causis sit licitum appel-
lare?

XXXI. Assertio I. Generatim loquendo,
appellari potest in omni causa, & a quacunque sen-
tentia, nisi expressè sit in jure prohibitum; quia ap-
pellatio est quaedam defensio, quae nemini facile de-
negari debet. *Durand. in spec. lib. 2. part. 3. tit. de ap-
pell. §. 2. in princ. Marant. de ord. judic. p. 6. in 2. ult.
princ. tit. de appell. num. 267.* dummodo tamen senten-
tia sit valida: nam ab invalida, seu notorie irrita sen-
tentia, cum sit ipso jure nulla, frustra appellare
l. 1. & tot. tit. C. *Quando provocare non est necesse.* l. 1.
expressim; 19. & l. *Ex consensu*; 23. §. 1. ff. h. t. v. 1.
ff. *Quae sententiae sine appellatione rescinduntur.* *Lan-
franc. in pract. judic. c. 10. num. 6. Fallent. 14. & rati-
o est; quia appellatio debet extinguere pronuntiationem*

live rescindere sententiam prius latam, vel suspendere; id autem, quod nullum est, rescindi, vel suspendi non potest: in dubio tamen potest nullitas sententiae alternativè, vel sub conditione coniungi cum appellatione, v. g. dico sententiam nullam, & si qua est, appello. Bart. in cit. l. Si expressim; num. 5. Item potest etiam à sententia nulla appellari, petendo, ut declaretur nulla; ut docet Innocent. in c. Dilectio; 63. num. 2. h. t.

XXXII. Assertio 2. Spectato Iure civili non nisi à sententia definitiva appellari potest, non item ab interlocutoria, seu, quae est super incidente quaestione. l. pen. junct. Gl. V. Discussore; C. quor. appell. non recip. nisi in certis casibus. Veluti Primò, si contineat gravamen, quod per sententiam definitivam, vel appellationem ab ea reparari non possit; ut, si Iudex pronunciat, aliquem esse torquendum, vel incarcerandum, ab ista interlocutoria potest appellari. l. 2. ff. de appellat. recip. quia tortura semel facta per sententiam definitivam tolli non potest, cum factum infectum fieri nequeat. Lanfranc. cit. c. 10. num. 61. Secundò, Nisi sententia interlocutoria habeat vim definitivam, ut in casu, l. Intra; 39. ff. de Minorib. quando autem habeat vim definitivam, dictum est tit. preced. num. 2. Tertio, Nisi post sententiam interlocutoriam, non speretur securita sententia definitiva, ut, si Iudex pronunciet, se incompetentem esse: ab hac enim interlocutoria eius appellari potest; quia, si expectari deberet eius sententia definitiva, gravamen esset irrevocabile. Abb. in c. Super; 12. num. 3. h. t. Lanfr. cit. c. 10. n. 68.

XXXIII. At verò de Iure Canonico (quod in Ecclesiastico foro servatur) appellare licet ab omni sententia interlocutoria, & quovis gravamine, tam ante, quam post sententiam definitivam, ut constat ex c. Super eo; 12. in princ. h. t. ubi dicitur: Secundum SS. Canones, ante, & post litem contestationem, & in prolatione sententiae, & post illam, tribuitur facultas appellandi; leges autem seculares appellacionem ante sententiam (definitivam, quae nomine sententiae absolutae postulat intelligitur. Abb. hic num. 6.) non admittunt, nisi in quibusdam casibus. Idem habetur in c. Cum sit; 5. h. t. Ratio autem huius discriminis inter Ius Pontificium, & Caesareum hæc assignatur communiter; quia, cum de Iure Civili instantia iudicij pereat triennio, ut lites citius expediantur; ideo non admittuntur tot appellaciones à quovis gravamine: plerumque enim periret instantia cursu triennij ante definitivam sententiam, si à quolibet gravamine posset appellari; idèoque præsumitur, quòd tantum lites differendae causae ex interponantur: de Iure Canonico verò instantia Iudicij quoad causam principalem, non expirat cursu temporis; ut patet ex c. pen. de iudic. Abb. hic num. 5. Adde, quòd, cum de Iure Canonico mitius procedatur, magis attendendo æquitatem, quam rigorem; æquius autem sit, si statim corrigatur iniquitas Iudicis, & pars illata servetur; ideo à quolibet gravamine hoc iure appellare licet. Abb. c. l. Satius enim est maturè gravamini occurrere, quam tardius remedium querere, non raro frustra.

XXXIV. Ceterum Concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 22. de reform. conformiter Iuri civili statuit, ut ab Ordinarijs locorum non liceat

appellare, ante sententiam definitivam, vel alio quocunque gravamine, nisi vim definitivam, vel habeat, vel huiusmodi gravamen per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: cuiusmodi gravamen irreparabile est indebita incarcerationio, tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum; quia hæc trahunt secum executionem, & omnis actus irtractabilis, quo executioni mandato, pars gravata non potest amplius sublevari per definitivam, vel appellationem ab illa, vel non sine magna difficultate, & præiudicio partis, aut causae principalis. Piafescius in praxi Episc. p. 2. c. 4. ad. 15. num. 3. Zerola in praxi V. Appellatio; ad 6.

XXXV. Assertio 3. Non tantum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, appellatio conceditur, utroque Iure; ut patet ex l. Et in maioribus; 20. junct. Gl. V. Negotijs; C. h. t. ubi ait: Puta in criminalibus, & civilibus, & l. Non tantum; 6. ff. eod. & c. Liceat; 20. caus. 2. q. 6. c. Cum sit; 5. §. Præterea; h. t. ubi statuitur: Si raptor, vel violentus rei alienæ detentor contra sententiam appellet, apud Ecclesiasticas personas solet audiri, sive eius appellatio in foro Ecclesiastico admittitur; præterquam, si manifestus, seu notorius, v. g. raptor, seu fornicator existat (quia in notorijs non recipitur appellatio, ut infra dicitur) sicut ille fuit, quem Apostolus absentem, & irrequisitum (hoc est, non citatum) excommunicavit. 1. ad Corinth. 5. vbi Gl. fin. notat: Et si ille fornicator non fuit vocatus per edictum peremptorium ad Iudicium; quia crimen erat notorium, fuit tamen admonitus ad penitentiam per Apollinem discipulum S. Pauli; cum nemo sit excommunicandus, nisi legitimam admonitionem præmissam, c. Sacros; 48. de sent. excomm. Ratio autem, & cur etiam in causa criminali, imò potius, admittenda sit appellatio, est; quia in illa vertitur majus periculum, quam in causa civili: agitur enim in illa ad publicam poenam, & de corpore, ac vitâ hominis; in civili verò solum ad interesse partis, & de externis fortunæ bonis. Vivian. in Ration. Iur. Pontif. in cit. §. Præterea.

Verumtamen ex generali consuetudine in Romani Imperij Tribunalibus, in causis criminalibus præcipuè capitalibus, appellaciones non admittuntur, teste Gail. lib. 1. obs. 1. num. 28. & Mysing. centur. 4. obs. 41. Idque, ne impediatur executiones, & crimina maneat impunita, aut saltem poenae committæ differantur; quamvis in Camera Imperiali, si quis principaliter velit nullitatem processus prosequi, id ei permittatur; ut notant D. D. citati.

Porrò, pendente appellatione, non debet sententia lata in causa criminali executioni mandari infra decem dies, qui dantur ad appellandum, etiam si per eam infligatur à Iudice poena corporalis, aut capitalis; ut docet Bart. in l. Qui ultimi; 29. num. 5. ff. de penis.

XXXVI. Assertio 4. Non solum in causis maioribus, sed etiam minoribus, imò in causis minimis, ac levibus admitti debent appellaciones, usque non minus, quam alijs in maioribus, est deferendum; prout statuitur in c. De appellationibus; 11. h. t. l. Et in Maioribus; 20. C. eod. Ratio est; quia appellatio conceditur propter iniustitiam, aut imperitiâ Iudicis, ex qua aliquis gravatur, l. 1. ff. h. t. atqui iniustitia, & gravamen potest accidere,

confessionem... rationabili, quæ... appellatio habet... suspensivum; hoc... de ferre hanc... fessio judicialis... ovium, in quo... cetur; tum quæ... auditur quis... Per rias; 10. de... numer. pecun. ac... nem, potest ex... Iudex ad quem... iudici à quo inhibet... Romana; 3. §. Si... corcel revocare... pellationis, si... e à quo, docedo... m in priorè iudic... no; & Bart. in cit... Quid si causa... rorem confessio... illi detere, nec... itionem Iudicis... fa fuit, quæ iustit... est, & suspende... rant. c. l. non. 181... seg. Si quis dete... convictus, sed non... utroque iure, exc... eum esse convic... it. l. 1. C. quor. ap... Farina. cit. q. 101.

III. ACTIBUS, test, vel non

es in quibus appel-

generatim loquendo, & à quacunque prohibito; quæ opus nemini facile de... 2. part. 3. tit. de ap... iudic. p. 6. in 2. alio... modo tamen sententia... eu notoriè irrita... frustra appellare... re non est necesse. l. 1... 3. §. 1. ff. h. t. 101. 102... rescinduntur. Lan... Fallent. 14. & ratio... uere pronunciantur...

ferret: aliqui verò ex subditis, dum Superioris sententiam, & disciplinam Canonicam reformidant, sine ullo gravamine, appellarent; & ad defensionem iniquitatis usurparent, quod ad præsidium innocentium est institutum; prout habetur in integra lectione huius c. ideoque hæc Decretalis emanavit. Si verò aliquis ex causa necessaria, vel iusta appellavit; tum Judex, à quo competentem ei temporis terminum assignet, intra quem, si appellationem prosequi neglexerit, Episcopus, seu Prælatus, à quo appellatum, reassumat jurisdictionem (quia perinde est, ac, si non esset appellatum. *Gl. hic V. Tunc Episcopus.*) Quod si is, contra quem appellatum est, intra terminum veniat; ille verò, qui appellavit in quocunque negotio, non advenerit, condemnandus est ad competentem compensationem expensarum factarum ab adversario, dummodo quid proprium habeat, ut vel hæc ratione compellatur, ne quis temere in gravamen alterius appellat. Præcipue verò Religiosis prohibetur, ne, si ob excessum aliquem corrigendi sint, contra Regularem disciplinam Prælati, & Capituli appellare præsumant, sed humiliter, ac devotè salutarem pœnam sibi impositam suscipiant. Consentit c. Licet; 12. in princ. de offic. jud. ordin. ubi etiam dicitur, in corrigendis excessibus, juxta canonicas sanctiones refugium appellationis inhibuit esse, & in Concil. Trident. sess. 13. c. 1. de reform. prohibetur appellatio in causis visitationis, & correctionis, & sess. 22. c. 1. de reform. statuitur, ne appellatio executionem, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Ratio est, quia correctio legitima, quæ fit secundum Canones, est veluti executio Canonis; ab executeore verò, nisi metas excedat, appellare non licet. l. Ab executione; §. C. quorum appell. non recip. & dicitur infra.

XLII. Porò ex cit. c. Reprehensibilis; h. t. colligitur primò, quòd non solum sententia excommunicationis, sed etiam suspensionis, quando fertur, non in pœnam delicti, sed ob contumaciam in parendo, non debeat ferri, nisi præmissa canonicà monitione, vel citatione; quamvis excommunicatio nunquam infligitur ab homine, nisi propter contumaciam; adeoque præmissa monitione, aliud est, quando ipso jure infligitur excommunicatio: tunc enim non requiritur præmonitio. *Abb. in cit. c. 26. n. 3. & 6. h. t.*

Colligitur secundò. Appellanti præfigi debet terminus ad prosequendam appellationem, intra quem, si non prosequatur, Judex à quo reassumit jurisdictionem, & procedit appellans verò, si non prosequatur, prosequente illam appellato, condemnatur in expensas; ut patet ex cit. c. 26. de quo plura infra.

XLIII. Assertio 2. Quòd dictum est à correctione Prælati, sive Regularis, sive secularis, non posse appellari, id limitari debet, nisi Prælatus, aut Visitator in corrigendo modum excedat: tunc enim appellatio admitti debet; ut constat ex c. Irrefragabili; 13. de offic. jud. ordin. ubi decernitur, quòd executionem officii correctionis nulla appellatio valeat impedire, nisi forma, seu modus excedatur; quia tunc Prælatus, seu Superior potestate suâ

abutitur, gravatque subditum: à quo gravamine appellari potest, si excessus in corrigendo sit notabilis, & notorius; prout etiam sumitur ex c. De Priore; 31. h. t. secundum unum illius intellectum: ubi habetur, quòd quidam Canonicus Regularis contra Priorem suum, seu Præpositum appellavit ad Sedem Apostolicam, quòd ipsum indignè tractavit, ita, ut eum omnibus vestibus usque ad camisiam fecerit spoliari: & cum eundem Priorem accusare vellet, ab ipso coactus fuerit accusationi, & appellationi renunciare. Vicissim verò ipse Prior contra hunc Canonicum, & alios Fratres querebatur, quòd à correctione regulari, quam ipsis faciat, ad Sedem Apostolicam appellent. Quare Papa Alexander III. cuidam Judici à se delegato mandat, ut rei veritate diligenter inquisitâ, si repererit, dictum Canonicum ad evitandam disciplinam appellasse, eidem Priori nullam propterea pœnam infligat; quia Romana Ecclesia tales appellationes admittere non consuevit, ne Monachis, vel Canonicis Regularibus præbeatur audacia ad delinquendum (prout legitur in antiqua, & integra lectione huius c.) si verò Canonicus ille Priorem suum propter enormes, & manifestos eius excessus, qui ipsum notabilem, id est, infamam reddunt, accusare voluit; & ideo ad Sedem Apostolicam appellavit; Prior autem tali appellationi deferre noluit, tunc eundem Priorem, cum litteris rei gestæ veritatem continentibus, ad Sedem Apostolicam venire compellat de tanto excessu satisfacturum.

XLIII. Hinc colligitur, quòd varij sint intellectus, & expositiones huius c. prout videre est apud Abbatem hic n. 3. potissimum autem duæ: una, quòd, quamvis aliàs à correctione non liceat appellare: si tamen Prælatus modum notabiliter, ac notoriè excedat in correctione, & injustè subditum affligat; ut, si v. g. subditum, ob levem causam, torqueat, vel in carcere detineat; tunc is potest appellare à tali correctione ad Superiorem Prælati, & hic debet justè appellationi deferre, alioquin puniendus erit. *Gl. hic V. Contempsit; & V. De tanto excessu;* & quidem secundum qualitatem delicti, in causis criminalibus deponendus est, c. Decreto; 11. in fin. caus. 2. q. 6. vel arbitrio Superioris puniendus in causa civili. *Arg. c. De causis; 4. de offic. deleg. Abb. hic n. 7. & Alex. n. 26.* Verum secundum hanc expositionem, verba illa hujus c. propter suas enormitates manifestas intelligi debent, scilicet commissas in corrigendo, & puniendo subditum Regularem, injustè, & contra regulam Ordinis; ut notat *Alex. de Nevo hic n. 16. in Gl. 1.*

Altera expositio est, quòd in casu cit. c. 31. Canonicus Regularis, non ob gravamen in corrigendo, sed propter alia manifesta delicta Prioris appellaverit extrajudicialiter ad Papam, sed Prior eum impedire voluerit; ideoque puniri debeat. *Abb. hic n. 3. & Alex. n. 19.*

XLIV. Ceterum circa appellationem à correctione, in qua modus exceditur, Notandum præterea primò. Dupliciter posse Prælatum, vel Visitatorem in corrigendo procedere, vel extra Judicium, & sine processu judiciali per modum paternæ correctionis, & ad penitentiam: vel in forma Judicii, & instituto processu: priore casu non potest appellari à correctione, nec quidem ad Sedem

Apostolicam, nisi modus excedatur; quamvis etiam tunc appellatio non pariat effectum suspensivum, sed tantum devolutivum; ideoque potest Iudex appellationis cognoscere de prætenso excessu in corrigendo, sed interim non impeditur executio eorum, quæ ab ordinario Iudice, videlicet Prælati, aut Visitatore decreta sunt, juxta *Concil. Trident. sess. 24. c. 10. de reform. Barbosa. de offic. Episc. alleg. 73. num. 32.* In posteriore verò casu, si procedatur, servato ordine judiciario, ante sententiam definitivam, in causis, præsertim visitationis, & correctionis; appellatio non est admittenda ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, nisi inferatur gravamen huiusmodi, quod per appellationem à sententia definitiva reparari non possit; prout decretum est in *Concil. Trid. sess. 13. c. 1. de reform. ut est v. g. excommunicatio, vel incarceratio.* Verùm post sententiam definitivam, appellari potest; ita tamen, ut appellatio non suspendat executionem; ut colligitur ex *c. 1. sess. 22. c. 10. sess. 24. de reform. & tradit ibidem declaratio Congregat. Cardin. apud Ioan. Gallemart. num. 4. Barb. c. l. Piassec. in praxi p. 2. c. 3. art. 8. num. 6. & novissimè Fagn. in c. Ad nostram; 3. h. t. num. 6. & tribus seqq. nam, cum appellatio in causa correctionis, ob disciplinam Ecclesiasticam, vel regularem servandam, non admittatur, nisi modus excedatur, id autem non præsumatur; ideo allegari, & probari debet.*

Notandum secundo. Si Prælati Regulares contra Ordinis regulas, & Constitutiones subditos gravent, aut in puniendo modum excedant, tum hi appellare possunt; ut constat ex *cit. c. De Priore; h. t. & colligitur ex cit. c. Ad nostram; 3. h. t. à contrario sensu, ubi ratio, cur à correctione regulari non sit appellandum, ea redditur, ne alicui ab observantia regulari exorbitanti patrocinium exhibeatur: ergo per sensum contrarium, si non exorbitet ab observantia regulari, sed iuste queratur contra excessum Prælati in corrigendo, Religiosus appellare potest: cuius ratio est; quia appellatio conceditur ad tollendum injustum gravamen: at, quando Religiosus corrigitur, & punitur, juxta regularem disciplinam, non gravatur: secus, si modus in ea præscriptus excedatur; ergo priore casu non admittitur appellatio, sed tantum in posteriore. *Abb. in c. Licet; 12. num. 1. de offic. ordin. Sanch. lib. 6. Moral. c. 8. num. 102.* Possunt autem Religiosi appellare à correctione, si in ea modus excedatur, sive gravamen inferatur in processu judiciali, sive extra iudicium: nam, si correctio fiat contra præscriptum regulam, in utroque processu licitum est appellare: si verò fiat, secundum regularem disciplinam, in neutro appellari poterit; quia facultas appellandi nititur gravamine. *Sanch. c. l. n. 103.* Quamvis verò nullum, quoad potestatem appellandi, sit discrimen inter Religiosos, & Clericos seculares; quia utrique possunt appellare à correctione, si modus excedatur; neutri, si non excedatur: attamen facilius, & sæpius contingit, gravari seculares, quàm Religiosos; ideoque illi sæpius appellare possunt à correctione, quàm isti, qui non ita facile, & sæpe gravantur propter Regulares, & plures observantias sponte susceptas; & quia non tam rigidè processus judicialis est observandus erga Regulares,*

quàm erga seculares. *Arg. c. Qualiter; 24. §. final. c. 1. de accusat. Abb. in cit. c. Ad nostram. num. 7. & 8. ibid. Alex. num. 13. & 14. h. t. Sanch. c. l. n. 104.* sicut etiam hodie nulla est differentia inter seculares, & Regulares quoad hoc, quòd in utroque non debeat admitti appellatio, post sententiam definitivam latam super causa, vel iure notorio: sed, si possit competere excusatio, vel nondum probata probari. *Alex. c. l. num. 14. & Sanch. c. l. n. 104.*

XLV. Notandum tertio. Esi regulariter appellatio à sententia definitiva non fit necesse exprimerè causam, sed sufficit dicere: Appellatio à iniusta sententia; ut infra dicitur: si tamen appellatur à sententia definitiva correctionis, ea necessaridè exprimi debet, videlicet, quòd Superior modum in corrigendo excesserit: cum enim jure consistat tali appellationi, eamque solum admittat in speciali casu, nempe, si modus excedatur in corrigendo, is ipse exprimi debet, ut Iudici appellationis de iustitia eiusdem constet, & appareat, appellatum esse in casu concessio: ideoque etiam in petitione litterarum talis appellatio exprimi debet causa condemnationis: alioquin censetur subreptitia; quia eà expressa, Papa forte litteras non concessisset, si vidisset, causam rationabilè appellandi non esse allatam. *Abb. in cit. c. Ad nostram; n. 9. h. t. Sanch. c. l. n. 105.* Idemque est de talibus causis, in quibus appellatio iure communi est prohibita. *Sanch. c. l.*

Notandum quarto. Regulares à correctione appellare possunt, si modus excedatur in causis genericis, non obstante Concilio Tridentino *sess. 24. c. 4. de Regularib.* quippe, quòd non verè appellare ad Superiorem; sed, ne liceat Regularibus recedere à suis Monasteriis, prætextu personaliter recedendi ad Superiores mediatos, sine licentia Prælati sui immediati in scriptis obtenta, quòd longè aliud est; ut notat *Navarr. Comment. 3. de Regularib. num. 51. ad 2. & in Consl. 4. h. t. num. 1. c. 8. num. 102.* Imò etiam possunt Regulares appellare tali casu, si modus in correctione excedatur, non obstantibus privilegiis Apostolicis, quæ prohibent Regularibus appellare à superiorum mandatis, & correctionibus: sunt enim ea intelligenda, nisi correctiones in modo excedant, & injustè gravent subditos: nam tunc minus, aut per viam appellationis, aut per modum simplicis querelæ, possunt recurrere ad superiores mediatos; ut tradit *Emman. Rodrig. tom. 99. Regular. q. 29. art. 2.* neque enim privilegia semper aliquid novi concedunt; sed interdum conceduntur, maioris declarationis, vel confirmationis gratiâ. *Sanch. cit. c. 8. num. 110. & in Constitutionibus, vel privilegiis Regularium videtur solè prohibita appellatio ad Prælatos externos, Sanch. c. l. n. 109.* qui etiam *num. seq.* addit, privilegia de non appellando concessum Religionibus hoc, eam operari, quòd Regularibus non liceat appellare, nisi excessus in corrigendo, sive gravamen fuerit manifestum; cum iure communi appellatio concedatur, etiam quando gravamen est dubium, & non appellari posse à correctione, si probata fuerit, adeoque dubia allegetur, quæ, si probata

nit, legitima reputatur: constat ex c. *Cum speciali*; 61. §. *Porro*; h. t. ubi tamen in fine additur, quod duæ illæ Constitutiones, quæ habentur in cit. c. *Cum speciali*; in princ. de recusatione Judicis suspecti, de quo infra, & de appellatione à correctione Prælati, de qua in cit. §. *Porro*; non debeat extendi ad Regulares contra speciales eorum observantias, & Constitutiones; quia, si Prælati Regularis ad corrigendum subditos procedat, secundum ordinem Regularum; sicut non potest recitari, ita nec ab ipso appellari: secus est, si excedat limites regulæ. *Abb. in cit. §. Porro*; num. 3. Quomodo autem procedendum sit, si à correctione Prælati appellat subditus, infra dicitur.

S. III.

De Appellatione ab excommunicatione, interdicto, & suspensione.

XLVI. Assertio 1. Etsi à sententia excommunicationis, & interdicti appellari possit, ea tamen per appellationem subsequenter non suspenditur: nam excommunicatio, & interdictum æquiparantur, ita, ut, sicut excommunicatio lata, post interpositam appellationem, irrita est. c. *Per tuas*; 40. de sent. excom. ita & interdictum: & sicut sententia excommunicationis jam lata non suspenditur per sequentem appellationem, ita nec interdictum; prout sumitur ex c. *Ad hæc*; 37. & ibi *Gl. V. Interdictum*; h. t. nam, quia aliqui Clerici interdicti appellare solent; idcirco interdictum non servant, quasi tum fuit, quid juris sit? Respondit Papa Lucius III. Sicut nemo post legitimam appellationem excommunicari potest, ita Clerici non possunt declinare interdictum, cui ante appellationem erant suppositi: in quo tamen textu aliquid supplendum, & subintelligendum est; ut notat *Abb. hic num. 3.* & *Alex. ibid. num. 3.* nempe, sicut sententia excommunicationis non suspenditur per sequentem appellationem, ita nec interdictum.

Idemque dicendum est de censura suspensionis ab officio, aut si alicui ingressus Ecclesiæ sit interdictus, juxta c. *Is cui*; 20. in fine. de sent. excom. in 6. ubi dicitur: Sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur. Ratio communiter hæc datur; quia excommunicatio, & quævis alia censura, executionem sententiæ secum trahit; quia nimirum statim, atque lata est, animam ligat. Idque ab Ecclesia statutum est, tum ne contemnatur auctoritas ejusdem à contumacibus, sed tantò magis timeatur, si fiant, effectum censuræ per appellationem suspendi, vel impediri non posse: tum quia censurâ ligatus potest, depositâ contumaciâ, consequi absolutionem, sive ab ipso excommunicante, sive à Superiore illius, appellando ad ipsum: nam, licet appellatio à censura non pariat effectum suspensionum, parit tamen de volunturum: ludex enim, ad quem appellatur, de justitia latæ excommunicationis, & interpositæ ab illa appellationis cognoscere potest, ac debet.

XLVII. Limitatur autem supra posita assertio, ut solum procedat in interdicto, vel suspensione ab Officijs Divinis, adeoque à spiritualibus, quæ ligant animam; secus est de interdicto, vel suspensione à temporalibus; ut si alicui interdicatur ingressus in possessionem, sive perceptio, aut usus alterius rei temporalis: talis enim sententia suspensionis, vel interdicti suspenditur per legitimam appellationem subsequentem: imò etiam, si quis suspendatur à percipiendis fructibus beneficii, vel eius administratione, item à voce activa, vel passiva, vel ab usu pallij Episcopalis, aut à Pontificalibus. *Abb. in cit. e. Ad hæc*; num. 1. h. t. & *Alex. ibid. num. 3. Gl. in cit. c. Is cui*; V. *Sequentem*; de sent. excom. in 6. *Avila de censur. p. 3. dis. 3. dub. 4. concl. 1.* Ratio est; quia ea, quæ exorbitant à Jure communi, & ordinario, strictè interpretari oportet: sed jure communi sententia Judicis per legitimam appellationem subsequentem ordinariè suspenditur, & in cit. c. *Is cui*; solum excipitur suspensio ab Officio Divino, quod per appellationem sequentem non suspendatur: ergo id extendi non debet ad alias suspensiones, quæ non sunt ab Officio Divino, saltem quoad substantiam.

Quin imò non tantum suspensio ab Officio Divino, quæ est propriè censura, & ob præsentem contumaciam inferitur, verum etiam illa suspensio, quæ non est propriè censura, sed ob peccatum merè præteritum, tanquam pura pœna infligitur; ut, si v. g. Episcopus Clericum, ob commissum adulterium, per triennium à celebratione Missæ suspendat, per appellationem subsequentem non suspenditur; ut docet *Alex. in cit. c. Ad hæc*; num. 9. *Suar. dis. 28. de censur. sec. 5. num. 3.* Ratio est; tum quia in cit. c. *Is cui*; absolute, & sine distinctione dicitur, quod suspensio ab Officio per sequentem appellationem non suspendatur: in jure autem nomen suspensionis indifferenter significat eam, quæ ob contumaciam, vel ob commissum delictum inferitur: tum quia ratio, ob quam suspensio per appellationem sequentem non suspenditur, habet locum in utraque, tam eâ, quæ inferitur ob delictum, quam eâ, quæ ob contumaciam; nimirum, quia sententia suspensionis, sicut & excommunicationis, secum trahit executionem, juxta c. *Pastoralis*; 53. §. *Perum*; h. t. Tum denique, quia celebrans in tali suspensione illata ob commissum delictum, tanquam pura pœnâ, irregularitatem non minùs incurrit, quam, si censuram propriè dictam violaret. *Arg. c. 1. de sent. excom. in 6.*

XLVIII. Contrarium tamen valde probabiliter tenet *Abb. in c. Sape*; 44. num. 16. h. t. Idque probatur; quia ratio præcipua, ob quam ex Constitutione Ecclesiæ per appellationem sequentem non suspenditur sententia suspensionis ab officio, est; quia est pœna medicinalis, ob contumaciam illata, ad corrigendum Reum, donec resipiscat: atqui suspensio, quæ infligitur tanquam pura pœna, ob commissum delictum præteritum, non est propriè censura, nec medicina: ergo talis sententia suspensionis per sequentem appellationem suspenditur, cum in ea cesset vera ratio, cur censura suspensionis non suspendatur per sequentem appellationem. Probatur secundò. Quia, ut docet *Gl. Recepta*; in cit. c. *Sape*; V. *Ratum erat*; si Episcopus, vel alius Prælati, postquam depositus est, statim appellavit, potest nihilominus, pendens

pendente appellatione, administrare, & jurisdictionem exercere, excommunicando v. g. subditum suum: qui enim provocat, nondum damnatus est. *l. 2. §. ult. ff. de panis*; & adhuc integer est eius status, appellatione interposita. *ff. Nihil innovari*; appell. *interp.* ergo neque is, qui ad tempus aliquod suspensus est à Divinis, ita damnatus esse censendus est, quò minus à sententia illa intra tempus legitimum appellare possit; sive suspensio ista tanquam pura pœna lata sit in perpetuum, quæ est depositio, sive ad tempus tantum: quemadmodum jure communi à sententia condemnatoria ad pœnam carceris appellari potest, sive in perpetuum, sive ad tempus carceri sit mancipatus. Probatum verò. Quia standum est regulâ juris communis, videlicet, quòd per sententiam condemnatus appellare possit, nisi probetur, casum illum specialem exceptum esse in jure à regulâ illa. *Alex. in cit. c. Ad hæc*; *num. 10. h. r.*

Neque huic sententiæ obstat *cit. c. Is cui*: nam, quòd per appellationem sequentem non suspendatur sententia prius lata, id per se, ac principaliter convenit excommunicationi, quæ semper, ex sua natura, Rei contumaciam requirit, neque ut pura pœna inferri potest: suspensioni verò, & interdicto solum id convenit, quatenus æquiparantur excommunicationi in illo c. adeoque etiam, non nisi quatenus sunt censuræ ob contumaciam inflictæ, & non puræ pœnæ. Ex quo etiam patet responsio ad secundum argumentum oppositæ sententiæ: non enim sententia suspensionis trahit secum executionem, prout est pura pœna; sed solum, quatenus est censura inflicta propter contumaciam. Ad 3. neg. consequ. quia, quòd suspensus possit appellare, & in suspensione celebrare, sunt effectus omnino diversi, à diversis autem non fit bona illatio. Ex quo patet, quòd posterior sententia sit probabilior.

XLIX. Assertio 2. Per appellationem interpositam à sententia excommunicationis ab homine lata, vel alterius censuræ, non solum ea non suspenditur, sed etiam non impeditur eiusdem denunciatio, sive quò minus Iudex talem excommunicatum esse, denunciare, & declarare possit, non obstante appellatione; prout expressè statutum habetur in *c. Pastoralis* 3. §. *Verum*; *h. r.* Nam, quia sæpe accidit, ut aliquis à jurisdictione sui ordinarij iudicis, quoad certum articulum, ad tempus per legitimam appellationem eximat; ideo quæsitum fuit ex Papa Innocentio III. si Iudex Ecclesiasticus, Episcopus v. g. in Diœcesanum suum sententiam excommunicationis proferat; ille verò ab eâ tanquam irrationabiliter, seu iniuste lata appeller, utrum Episcopi jurisdictioni ceteri debeat, pendente appellatione, suspensus esse, ac veluti dormire, perinde, ac, si ante latam excommunicationem appellatio facta fuisset: an verò nihilominus eundem denunciare possit, & ad tempus Ecclesiasticis beneficijs Clericum private? Ad hoc respondet Papa: Cùm excommunicatio secum trahat executionem, & excommunicatus per denunciationem plus non ligetur; ideo non obstante appellatione, ipsum excommunicatum esse, denunciare potest Episcopus, ut ab alijs vitetur: & insuper illi redditus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communitio est interdicta.

L. Notandum hic primò. Si appellatur à censura excommunicationis, vel alterius Censuræ Ecclesiasticæ jam latæ ab homine, potest Iudex à quo non obstante appellatione, denunciare, ac promulgare, appellatorem excommunicatum esse, ut ab alio vitetur. *cit. §. Verum*; & similiter declarare suspensum, aut interdictum; quia excommunicatio est censura medicinalis tendens ad correctionem, sicut à aliâ censura, & in potestate appellantis est, huiusmodi censuras evitare; ideòque non suspenditur per appellationem earum denunciatio: aliud est, si vitarentur in pœnam; tunc per appellationem suspenduntur, ut supra dictum *num. 43.*

Notandum secundò. Quando actus iam gestus non suspenditur per appellationem sequentem, ut in proposito excommunicatio; tunc nec actus procedens consecutivus, & accessorius ad ipsum actum gestum, eique connexus suspenditur, videlicet denuntiatio excommunicatio; ideòque, si ceteri excommunicatus appellaverit, Iudex à quo potest illam etiam post appellationem denunciare, ut vitetur; qui qui denunciatur, non ligat de novo, sed iam ligatus ostendit, ac promulgat. *Abb. in cit. §. Verum*; *num. 10.*

Notandum tertio. Quamvis valde probabiliter, post *Extravag. Conc. Constantiensis. Ad revocandum* hodie nunquam fieri posse denunciationem excommunicationis, post appellationem ab eo interpositam (exceptâ illâ, quæ incurta est propter flagrantem Clerici percussorem) ut docet *Navarre. in c. Cui contingat* 3. §. *de Rescript. remedi. 6. num. 7. C. q. i.* excommunicatus appellare potest ab excommunicatione ad eum finem, ne denunciatur, si appellatio eam talem afferat, quæ, si probata sit, legitime esse feratur; tunc enim non procedit ratio decisionis alia in *cit. §. Verum*; quòd excommunicatus per denunciationem non plus ligetur, cum ei per denunciations novum gravamen, & ligamen inferatur, ut videtur ab alijs sit vitandus: hæc tamen exceptio non admittitur à *Saar. dif. 3. de censur. sec. 1. §. num. 22. cò quoque per cit. Extravag. nullum excommunicato conceditur privilegium*, & nuncetiam excommunicatio per denunciationem tantum accipiat maiores vires, quæ ad hunc effectum, ut alij eum vitare teneantur, adeoque adhuc locum habet decisio *text. in cit. c. Verum*.

Notandum quartò. Cùm fructus beneficii dentur propter officium, quod excommunicatio interdictum; consequenter & redditus beneficii ei dari non debent, dum in excommunicatione persistit: nam, qui est extra Ecclesiam, sive privatus communionem Ecclesiæ, nihil de bonis illius percipere debet. *Gl. in cit. c. Verum*; *in casu in fine. Abb. ibid. num. 1.*

LI. Porro contra rationem decisionis aliam in *cit. §. Verum*; quòd excommunicatio excommunicationem secum trahat, objicit *Gl. ibid. V. Cum executionem*. Etiam sententia condemnatoria lata de furti crimine non habet secum executionem; ut habetur in *l. Non potest ff. de furtis*; ubi dicitur: Impossibile esse, ut furti damnatum non sequatur infamia; & tamen per appellationem effectus eius suspenditur; ut constat ex *l. Furti ff. de his, qui not. infam. ubi dicitur: Si furti, vel aliarum molarum actionum condemnatus provocaverit, pendente iudicio, nondum inter famulos habetur. Rescum Laym. in c. Ad reprimendum*; 8. *de offic. Iud. id jure civili statutum esse, ut sententia etiam ablati*

lata, ante decem dies ad appellandum concessos, non censetur omnino efficaciter afficere personam, eamque ligare. At verò censuræ, præsertim excommunicationis sententiæ, quæ ex potestate à Christo Ecclesiæ tradita proveniunt, si absolute alicui inferantur, statim efficaciter in eum transeunt, juxta illud Christi *Matth. 18.* Quæcunque alligaveritis super terram &c. ideòque etiam excommunicatio, aliæque censuræ propriè dictæ, non nisi per absolutionem relaxari possunt.

Quid autem Juris sit, si post appellationem alicuius, feratur in illum sententia excommunicationis, infra explicabitur.

S. IV.

Utrum appellari possit in causis, seu factis notoriis?

II. Responderetur. In causis, aut delictis notorijs non recipitur appellatio, sed eà non obstante, sententia executioni mandari potest; prout sumitur ex *cap. Pervenit; 13. h. t.* Nam, cum quidam Clerici quererentur coram Episcopo, se vulneratos, vel aliàs læsos esse à Diocesanis, hi super ea causa citati, ad Papam appellârunt. Respondit Alexander III. & mandat, eos, si delictum non sit publicum, & notorium per censuram Ecclesiasticam compellendos esse ab Episcopo, ut intra tempus conveniens appellationem prosequantur: si verò excessus eorum publicus, & notorius fuerit, non obstante ipsorum appellatione, denunciandi sunt excommunicati, & à fidelibus vitandi, donec nec injuriam passis satisfaciant, & cum litteris Episcopi, sive Ordinarii eorum Judicis, Apostolico conspectui se præsentent.

III. Idem statuitur in *cap. Consuluit; 14. h. t.* ubi dicitur: Si manifestum, seu notorium sit, quòd aliquis uxorem alterius detineat, vel manus violentas in Clericum iniecerit, & appellaverit, non est eius appellationi deferendum. Verumtamen, quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, ideo curandum est Judici, ne, quòd dubium est, ipse pro notorio habeat. Additur *ibid. in §. Illos autem; in fine.* quòd, qui appellant, à Judice cogi debeant, ut intra tempus conveniens, seu terminum ipsis præfixum, appellationem interpositam prosequantur, vel sententiæ Judicis, à quo appellant, pareant, remota appellatione. Pro declaratione utriusque huius cap.

Notandum primò. Si delictum non sit notorium, v. g. percussio Clerici, tum Judex Ecclesiasticus non potest percussorem declarare excommunicatum, nisi priùs illum citet, & in præsentia eius probationes recipiat, & si de facto constet, declarat, illum incidisse in sententiam Juris. *Abb. in cit. cap. Pervenit; num. 5. h. t.*

Notandum secundò. Judex diligenter inquirere debet, num factum, v. g. percussio Clerici, ita notorium sit, ut nullà exculatione defendi possit, v. g. ab excommunicatione contracta: alioqui enim procedere non potest ad declarationem pœnæ ipso Jure latæ, vel denunciationem excommunicati; quia fieri potest, ut Clericus Clericum percusserit, ob sui defensionem, vel ex charitate, ita, ut mortaliter non peccarit:

Tomus II.

sed, etsi crimen sit notorium; ideòque judicialis processus non requiratur, sed solum executio pœnæ ipso Jure latæ; expedit tamen, & sæpe necessarium est, Reum citare; ut intelligat, crimen notorium esse; ideòque statim ad executionem, aut denunciationem procedi posse, juxta *Clement. 2. in fine, junctà à Glof. V. Publicare de pœnis.* Si verò Reus citatus nullam exceptionem, vel defensionem opponere potest, & factum notorium sit; tunc non requiritur declaratio, sed statim ad executionem deveniri potest. *Alexand. in cit. cap. Pervenit; 24.*

Notandum tertio, discrimen esse inter appellationem à sententia excommunicationis absolute lata: ea enim non potest per sequentem appellationem suspendi: & inter sententiam declaratoriam Judicis, quæ quis declaratur, excommunicationem incurrisse, ad hoc, ut ab aliis vitetur; ea enim per legitimam appellationem suspenditur, juxta *cap. Pastoralis; 53. §. Utrum h. t. Suar. lib. 3. de censur. sec. 6. n. 6.* quia, cum fieri possit, ut Judex malè declaret; ideo admittitur appellatio ab huiusmodi declaratoriâ, licet non admittatur ab ipsa sententia excommunicationis. *Marant. de ord. judic. p. 6. de appell. n. 169.*

Notandum quartò. Quando in appellatione exprimitur legitima causa, per quam delictum notorium aliquo modo defenditur, & excusatur; tunc conceditur appellatio; ut, si quis aliquem occidar in conspectu populi, sed alleget, illum se occidisse ad sui defensionem, vel occidum fuisse proscriptum, ideòque impunè occidi potuisse. *Abb. in cit. cap. Consuluit; num. 4. Marant. cit. loc. num. 282. Farinac. in praxi. q. 101. num. 64.* Item appellari potest etiam in notorijs, quoad effectum devolutivum, etsi non suspensivum; & licet non appellari possit à notorio, admittitur tamen appellatio à declaratione notorij. *Barb. in Collect. in cit. cap. Consuluit; n. 4. §. 5.*

Notandum quinto. Si Judex deferat appellationi; tunc terminum præfigere potest, etiam sub censura, quam appellans incurrat, sub alternatione, seu disjunctione, nisi vel intra terminum præfinitum prosequatur appellationem, vel eo lapsò, coram Judice, à quo respondeat, cum aliàs nemo compelli possit, prosequi appellationem. *l. Eos; 6. in fine. C. h. t. Glof. in cit. cap. Pervenit; V. Compellas; §. Gl. fin. in cit. cap. Consuluit; h. t.*

LIV. Assertio secunda. Etsi in factis, & criminibus notorijs non admittitur appellatio, in dubijs tamen, si appelletur, causa probabilis coram Judice à quo est exprimenda; quæ si vera foret, legitima reputari deberet: quam si appellans non prosequitur, vel non probat, Judex à quo in causa procedet; ut colligitur ex *cap. Cum speciali; 61. §. Porro, hoc tit. ubi ita statuitur: Si subditus commonitus à Prælo, seu Superiore, ut se corrigat, appellet; tunc, si excessus eius, sive delictum, evidentiâ facti, vel ipsius propriâ confessione, vel alio modo legitimo manifestum, seu notorium fuerit, tali appellationi non est deferendum; cum remedium appellationis non ad defensionem iniquitatis sit institutum, sed ad præsidium innocentie. Si verò excessus, sive delictum sit dubium, appellans causam probabilem appellationis coram Judice proponere, & allegare debet, talem scilicet, quæ*

E e e e

quæ

» quæ si probetur, legitima probari debeat : &
 » tunc, si appellans adversarium habuerit, intra
 » terminum à Judice, secundum locorum distan-
 » tiam, temporis qualitatem, & negotii natu-
 » ram, definiendum, appellationis causam profe-
 » quatur : quam si non fuerit prosecutus, tum Ju-
 » dex, non obstante appellatione, in causa proce-
 » dat (ad petitionem adversarij. *Glos. hic, V. Proce-*
 » *dat;*) si autem nullus adversarius compareat, &
 » Judex ex officio processerit, hoc casu, Superior,
 » sive Judex, ad quem appellatum fuit, causâ co-
 » ram ipso probatâ, officium, seu potestatem Juris-
 » dictionis suæ exequatur. Sed, si in probatione iu-
 » sta causâ appellandi defecerit, ad Judicem, à quo
 » appellatum, eum remittat, qui malitiosè appel-
 » lavit. Idque statutum fuit, ne, si excessus sit du-
 » bius, frivola appellationis prætextu, appellans
 » Judicis processum impediatur; ut dicitur in textu.
 » Hæc autem Constitutio (sicut & illa, quæ habe-
 » tur in *cit. cap. Cum speciali; in princ.*) ad Regulares
 » extendi non debet, contra speciales eorum obser-
 » vationes.

L V. Notandum primò. In notoriis appellari non potest; quia constat de iniquitate appellantis: appellatio enim non debet esse præsidium iniquitatis. Variis autem modis dicitur factum, aut crimen esse notorium. Primò. Per evidentiam facti, quod nullâ tergiversatione celari potest. *cap. ult. de cohab. Cleric. & cap. Cum olim; 24. de V. S.* Secundò. Per confessionem Rei in Judicio; ut in hoc *cap. & cap. Romana; 3. §. Si autem h. t. in 6.* Tertio. Per sententiam condemnatoriam, si ab illa appellatum non sit. *cit. cap. ult. de cohabit. Cleric. Glos. hic V. Confessione.* Quarto. Per testes idoneos, si iis nihil oppositum sit, siquidem ex probationibus in Judicio factis exurgit notorium. *cit. cap. Olim; Abb. hic n. 4.* Idque, postquam in causa conclusum, & probationibus renunciatum fuit, juxta *Glos. in cap. Significaverunt; 35. V. Lique de testib.*

Notandum secundò. Si Judex à quo dubitet, num causa appellandi iusta sit, v. g. à correctione, non tenetur appellationi deferre, sed nihilominus ad executionem sententiæ procedere potest, nisi Judex ad quem cognoscere inceperit de causa appellationis, vel inhibeat Judici à quo, post appellationem receptam, ne exequatur sententiam: tunc enim suspenditur eius Jurisdictio, juxta *cap. Romana; 3. §. Sin autem h. t. in 6. Alexand. hic §. Porro; n. 17.* & colligitur ex *cit. §. Porro hic,* ubi dicitur, quòd in casu dubio de excessu correctionis, ut appellationi deferendum sit, appellans causam probabilem proponere debeat.

Notandum tertio. Appellans ex causa probabili, intra terminum sibi à Judice à quo præfixum, appellationem prosequi debet: alioquin ipse Judex, à quo appellatum, procedere potest, non obstante appellatione; quia censetur, illam habuisse pro deserta, perinde, ac si non appellasset. *Vivian. in Ration. hic.* Similiter, si appellans prosequatur appellationem, sed causam probabilem appellandi non probet, ad Judicem à quo remittendus est; quia præsumitur malitiosè appellasse; ut habetur in textu hic: idque procedit, quando appellatum est ab interlocutoria; quia tunc appellans debet pro-

bare, causam esse veram, & legitimam. *Abb. hic num. 9.*

Notandum quartò. Hæc Constitutio non extenditur ad Regulares; quia, si Prælati regulares corrigat subditum, secundum Ordinis regulam, & speciales eius observantias, non potest reculari tanquam suspectus, nec ab eo appellari. *Abb. hic n. 3. in 2.* corripiendo procedat judicialiter, sive extrajudicialiter, nisi excederet limites correctionis præscriptæ. *Alexand. hic num. 8.*

§. VI.

An, & quâ ratione appellari possit, vel non, contra electionem, & confirmationem Prælati?

LVI. Ad hanc questionem respondetur. Si quis ad Prælatum, vel dignitatem aliquam electus, à legitimo Superiore confirmatus sit, & aliquis appeller, non allegatâ rationabili causâ, ad impediendum executionem, & effectum electionis, & confirmacionis, appellatio admitti non debet; sed electus, non obstante, mitti debet in pacificam possessionem, imò neque contra eum admittenda est exceptio, donec autem accusatio, aut denunciatio; ut constat ex *cap. Constitutus; 46. h. t.* ubi dicitur, quòd vacante Præpositurâ Salvatoris, statuto die electionis, Episcopus Metensis adiuravit Canonicos, ut unus ex duobus, in quos oculos intendisse videbantur, quem Ecclesiæ magis utilem, & idoneum censerent, Præpositum eligerent, Tum Decanus, cum aliis quibusdam, nominavit Cantorem: ipse Cantor verò, cum aliis pluribus, Cancellarium Metensem elegit: quam electionem Episcopus usquam à maiore, & saniore parte Capituli factam confirmavit, siquidem de electæ personæ honestate constabat. Postea verò, cum secundum morem, electo donum (vel ut in antiquioribus exemplaribus habetur, domum, scilicet Præposituræ. *Glos. marg. hic*) & investituram dare vellet, Decanus appellavit ad Summum Pontificem, id solum allegans, quòd Cancellarius in iis partibus impotens esset ad possessiones Præposituræ defendendas: addens, se plura coram Papa obiecturum, quæ tunc nollet proferre coram Episcopo, quippe Judice suspecto. Re delatâ ad Innocentium III. is respondit: cum manifestè constet, causam illam, quæ erat expressa (coram Episcopo) rationabilem non fuisse, aliam verò Decanum tunc (coram Papa) non expressisse; ideo per illam appellationem confirmationis effectum impediti non posse. Si quidem Decanus, non per modum exceptionis ad impediendum electionis, & confirmacionis effectum, sed per modum denunciationis, vel accusationis proponere velit, liberam habeat facultatem ad faciendum, postquam Cancellarius pacificam possessionem Præposituræ fuerit consecutus. Ratio denunciationis est; quia contra Decanum appellans præsumptio fuit, quòd malitiosè ad differendum investituram, & corporalem possessionem expectaret, ideoque ab excipiendo repulsus fuit. *Glos. hic in 2.*

in modum exceptionis, & quia causa expressa erat irrationabilis: nam, si persona sit aliis digna, & idonea, ob defectum potentiae, ac divitiarum, non debet repelli, vel impediri, quod minus ad dignitatem eligatur: nisi forte Ecclesia indigeret Praelato potente, ac divite ad resistendum hostibus; vel quia debitis est onerata. *Abb. hic num. 11.*

LVII. Notandum hic praeterea primò. Electus, & confirmatus, non obstante exceptione, vel appellacione extrajudiciali, debet consequi possessionem; quia petens possessionem petit quid facti: exceptio autem opponitur juri; unde non est proportionata ad excludendum electum, & confirmatum à consecutione possessionis. *Abb. hic n. 6.*

Notandum secundò. Debet tamen in certis casibus admitti exceptio contra electum, & confirmatum: nam excipi contra illum potest, si sit manifestus defectus proprietatis, aut sit incontinenti probari possit, v. g. electores, vel confirmatores non habuisse potestatem eligendi, vel confirmandi: vel si ei obijciatur crimen junctum cum infamia. *cap. Accedens; 23. de accusat. vel si excipiat de crimine falsi, v. g. confirmationem, vel collationem per falsas litteras impetratam fuisse. Arg. cap. De cetero; 35. de sent. & re judic. & cap. 2. de crim. falsi. Abb. hic n. 15.* Verum tamen neque in his casibus exceptis admittitur exceptio contra electum, & confirmatum, si praesumptio sit contra excipientem; quod malitiosè opponat. *Gl. fin. hic, & Alexand. de Nevo n. 44.*

Notandum tertio. Si is, qui appellavit, non excipiat contra electionem, & confirmationem, per quam plenum jus electo acquisitum est, ad impediendam eius executionem, seu effectum: sed post obtentam possessionem, instituire velit actionem, accusando possessorem de crimine, vel denunciando illum, tum audiendus erit; quia tunc cessat praesumptio illa, quod appellans calumniosè obijciat ad impediendam possessionem, & executionem; ut patet ex hoc cap. *Glos. fin. hic, & Vivian. in Ration.*

S. V.

De aliis nonnullis casibus, in quibus appellatio non admittitur.

LVIII. Assertio 1. Non est admittenda appellatio, quae est contra Jus, vel executionem Juris; ut, si appellatur, ne fiat, quod manifestè lege, vel Canone praecipitur; prout sumitur ex *cap. Consuluit; 29. h. t. Ubi Episcopus Ordinarius compellere voluit Judaeos, ut admittant Christianos, quos ut mancipia detinebant (cum SS. Canonibus cautum sit), ne Judaei Christiana mancipia habeant. c. Mancipia; 13. dist. 5. c. Multorum; 2. c. Indaei; 5. infr. de Indaeis)* sed quia Rex Galliae pro Judaeis se opposuit, & appellare voluit, quaesitum fuit, an tali appellacioni sit deferendum. Respondit Alexander III. propter huiusmodi appellaciones à SS. Canonum decretis recedendum non esse.

Ex quo patet, quòd appellatio, quae fit contra leges, vel Canonicas sanctiones, non sit admittenda. *Gl. hic V. Pro huiusmodi appellacionibus.* Ratio est; quia Jus neminem gravat: ergo non potest ab illo, vel eius exe-

cutione appellari; quia fundamentum, & causa immediata appellacionis est gravamen iniustum, ad quod tollendum est inventa appellatio: ergo cessante gravamine, cessat appellatio. *Abb. hic n. 9. praeterquam, quòd talis appellatio sit frivola, & irrationabilis, & praesidium inobedientiae esset, si ei deferretur.*

Limitat id *Abb. hic n. 1.* Nisi allegetur aliqua causa rationabilis, ob quam Jus illud generale locum non habet: alioquin debet Judex, non obstante appellacione, ad executionem procedere.

Hinc etiam colligitur, quòd Papa, vel alius Judex Ecclesiasticus possit exercere Jurisdictionem in Judaeos, aliisque infideles, saltem indirecè, non tantum in iis, quae pertinent ad salutem animae, aut peccatum involvunt, sed etiam, quae sunt contra decorem, & decentiam Christianae Religionis; quale est, infideles habere feros Christianos. *Abb. hic n. 2. & 3. de quo infra suo loco.*

An autem appellari possit etiam à Statuto loci generali, dubitatur. *Affirmat Abb. hic n. 4.* si in se iniquitatem aliquam contineat; quamvis contrarium teneat *Barb. in Collect. hic n. 2.*

LIX. Assertio 2. Contra Constitutiones regulares etiam non conceditur appellatio à Religiosis facta; prout sumitur ex *c. Quia nos; 32. h. t. ubi statuitur: si Abbates infamia criminis publicè sint aspersi (de qua purgare se nequeunt, Gl. hic V. Infamia.)* aut de ea convicti (etiam de plano, & ordine iudiciario non per omnia servato. *Gl. hic V. Convicti.*) & in Capitulo Generali moniti, Praelatura cedere non possunt, appellandi facultatem non habeant, sed ad id cogi possunt, remotà appellacione ad Papam.

Et talem consuetudinem, vel Statutum vigere in Ordine Praedicatorum, & Carthusianorum, quoad Praepositum eorum Generale, testatur *Abb. hic n. 5.* & simile Statutum, vel Indultum Ordinis Cisterciensis refert *Emm. Rodrig. tom. 1. q. regul. q. 41. art. 3.* quia, sicut isti Generales ex sola electione, absque alia confirmatione, administrant: ita ex sola infamia tenentur cedere, si ita decernant omnes Praesidentes, seu Definitores, vel maior pars Regularium Congregatorum in generali Capitulo. *Abb. hic n. 5. & Alex. n. 13.*

LX. Porro id procedit solum, secundum specialem consuetudinem, aut Statutum, quo secluso, & spectato jure communi, neque Praelatus Regularis deponi potest, propter solam criminis infamiam publicam. *Abb. hic n. 3.* sed vel indicenda est ipsi purgatio Canonica per proprium juramentum, & aliorum compurgatorum, qui de credulitate jurent, juxta *cap. Quoties; 5. de purg. Canon.* (si nullus adsit accusator) ita, ut, si se purgare noluerit, vel non potuerit, pro convicto habeatur. *cap. Accedens; 23. circa finem de accusat.* Vel, si sponte renunciare nolit, instituto processu iudiciario, per testes, vel alias legitimas probationes convinci debebit. *cap. Licet; 31. & cap. seq. de simonia.* ubi hoc addendum, quòd infamia criminis interdum aded sit notoria, ut nulla indigeat probatione: interdum verò non est ita notoria, & tunc probari debet per testes saltem duos; ut tradit *Glos. in cap. Si testes; 3. §. Saepè. V. Fama; caus. 4. q. 3.* & ideo in *cit. cap. Quia nos.* alternativè dicitur: *Si publicè infamia publicè respersi sunt, aut convicti, scilicet per duos testes.* *Abbas ibidem num. 1.*

LXI. Assertio 3. A pœnâ per legem definitâ appellari non potest; adeoque neque à sententia Judicis, si condemnat ad pœnam lege decretam; prout sumitur ex *cit. cap. Quia nos; junctâ Glof. V. In communi Capitulo in fin. h. t.* ubi Prælati publicè infamatis, vel convictis de crimine, si Prælaturæ cedere nolint, interdicatur appellatio. Idque etiam constat ex *l. Si quâ pœnâ; 244. ibi: De pœna provocatio non est. ff. de V. S. Et ibi Glof. V. De pœna in solut. 3. Et Gl. in cap. Cupientes; 16. §. Quod si. V. Expectati de elect. in 6. V. g. si quis fateatur, se fecisse furtum manifestum, sed dicat, se iniuste damnatum esse; quia in quadruplum est condemnatus; adeoque appelleret, audiri non debet: sic enim magis de iniquitate legis, quàm iudicantis conquereretur; cum, ubi de crimine constat, pœna lege definita inferri debeat: adeoque ab ipsa lege appellaretur, de cuius iniquitate non est querendum. At verò à declaratione pœnæ Jure latæ appellari potest; ut docet *Glof. margin. in cit. l. Si quâ; lit. A.* quippe quæ non Juris, sed hominis, seu Judicis est declarantis, quòd quis inciderit in pœnam lege decretam. *Abb. in cap. Pervenit; 13. num. 6. hoc titul.* Quòd si pœna à Jure statuta non sit, sed ipse Judex pœnam, seu multam decernat, & modum excedat, potest hoc gravamine, & excessu appellari. *Arg. cap. Novit; 43. h. t. Et habetur in cit. l. Si quâ pœna. ibi: Ut multa provocatio est, id est, appellatio. Farinac. cit. q. 101. n. 110.**

LXII. Assertio 4. Ab executione sententiæ, sive mero executore appellari non potest, nisi is modum in executione, sive formam, aut limites mandati, ac commissionis suæ excedat; prout statutum habetur utroque Jure. *l. Ab executore; 4. in princ. junct. Glof. V. Non licet. ff. h. t. l. Quoniam; 21. C. Eodem. Et ibi Glof. V. Executionem. l. Ab executione; §. C. Quor. appellat. non recip. Item in cap. Ei, qui; 41. §. Ab executione; caus. 2. q. 6. cap. Quod ad consultationem; 15. de sentent. Et re judic. Et denique etiam in cap. Novit; 43. h. t. Nam, cum Legatus à latere, ex mandato Innocentij III. adversus terram Regni Galliæ interdictum promulgasset, non obstante appellatione, quam Rex fecit, allegans, Legatum ipsi suspectum esse: hoc cognito, respondit Pontifex, quòd Legatus interdicti sententiam non edidit, sed publicavit, nec fuit distator illius, sed magis executor. Quare, cum secundum Jus (tam Canonicum, quàm Civile) ab executore appellari non possit, nisi modum in exequendo excedat, ideo appellationi à Rege interpositæ deferendum non fuerat: præsertim cum in litteris commissionis ad Legatum directis Papa appellationem inhibuerit. Quòd verò de suspitione obiectum fuit, non existimat Papa, Legatum Regi meritò suspectum fuisse: et, si fuisset, non tamen desistere debuit Legatus, cum non proprio motu, sed ex mandato Pontificis processerit.*

Ratio decisionis est; quia merus executor non gravat exequendo, cum non habeat cognitionem, sed nudum ministerium, seu executionem sententiæ iam latæ: quare, si Reus gravatur, id gravamen à Jure, cuius sententia executioni mandatur, illatum est, actus enim tribuitur mandanti, & non

exequenti. *Barb. in Collect. hic num. 3. Et 4. Id itaque à sententia lata appellari potest, & tunc appellatio fieri debet adversus Judicem mandantem, & non adversus executorem: vel appellari non potest, & tunc executio impediti non debet, cum effectus sententiæ. Quòd si executor modum, aut limites commissionis in exequendo excedat, tunc illo appellari potest: quia extrajudicialiter gravamen excedendo aliud quid facere videtur, quàm commissum sit: ac proinde in eo, in quo excedit, definit esse executor; quia mandatum nullum habuit ad id faciendum, & caret omni potestate. *Et in cit. cap. Quod ad consultationem; 15. V. Excedatur de sentent. Et re judic. Barb. cit. loc. num. 7. Et 8. Censetur autem executor modum, & limites in exequendo excedere, si partes Judicis sibi venditor, vel sententiam interpretari velit, cum talis potestas mero executori, aut nuncio non competat. *l. Si non proponis; 6. C. de execut. rei judic. Veli exequi potest ante tempus, vel non secundum ordinem prædictum, nempe ut executio prius fiat in bonis mobilibus debitoris, quàm immobilibus. *l. à D. Pro; 21. In venditione. ff. de re judic. Gl. fin. in cit. cap. Quod ad consultationem; Et Alexand. de Nevo ibid. num. 47. Et seqq. ubi plures casus afferunt, in quibus executor potest modum excedere: quibus addi potest, si is executor se afferit, sufficiens, & indubitatum mandatum non exhibeat: tum enim appellari ab eo potest, sicut habetur in decisionibus novis Rotæ Romanæ tit. de appellat. decis. 45. aliàs 346.****

LXIII. Notandum hic præterea primò, ob scrimen esse inter edere Constitutionem, vel sententiam aliquam, & inter publicare, seu promulgare nam edit, qui est auctor illius; publicat, qui promulgat ab alio editam, & nudum ministerium exhibet. *Abb. hic n. 1. not. 2.*

Notandum secundò. Et si mero executore appellari non possit, potest tamen ab executore mero qui debet adhibere causæ cognitionem. *Barb. ibi. Et sic v. g. si S. Pontifex mandat alicui conferri beneficium per Rescriptum in forma dignum, dato loco hoc executore, hic recipere debet exceptiones, si quæ ab adversario opponuntur, & ideo ab eo appellari potest. *Garc. de benef. p. 6. cap. 2. §. 1. n. 112. Et 114.**

Notandum terriò. Merus executor non potest etiam recusari, tanquam suspectus; quia non ex suo proprio motu procedit, sed ex mandato committentis; prout habetur in *cit. cap. Novit*, adeoque non ipse facere censetur, quæ facit, sed potius qui mandavit. *cap. Cum aliquibus; 4. junct. Glof. V. Auctoritate nostrâ, de rescript. in 6. Porro, si executor non committitur certum, ac limitatum mandatum habeat, non est exequendi, sed sic deputatus, v. g. ad testes audiendos, & referendum dicta eorum, tali casu potest recusari quia & gravare potest, cum quædam ex eius subditis dependeant. *Abb. hic num. 7. Quin imò etiam executor deputatus à Papa in causis beneficiis recusari potest; quia potest gravare, cum debeat referre possessorem beneficij, & positiones, ac exceptiones eius recipere; sicut etiam appellari ab eo potest. *Abb. cit. loc.***

LXIV. Assertio 5. A sententia Judicis reituroando causam decidens non potest appellari, quia juramentum deculic: quamvis possit, cuius

mentum est delatum, si videlicet illud præstare recusaverit; ideoque condemnatus sic, appellare; prout deciditur in *l. Generaliter* § 12. §. *Sin autem. C. De reb. credit.* & *ibi Gl. V. Deultin*; & si iustam reculationis causam probaverit, sententia prior emendabitur à Judice appellationis. An autem, si is, cui juramentum defertur, adversario suo illud referat, isque jurat, & eius juramentum Juxta secutus, ipsum qui retulit, condemnet, hic appellare possit, dubitatur. *Affirmat Imola in c. ult. n. 4. de jurejur.* Ratio est; quia is, qui juramentum detulit, sponte elegit hanc viam, ut jurejurando causa definiretur; ideoque appellare non potest: is verò, cui defertur juramentum, non sponte illud refert deferenti, sed necessitate quâdam compulsus, ne videlicet ipse jurare cogatur, aut solvere. Sed contrarium non improbabili- ter tenet *Fachin. lib. 1. controv. c. 23.* quia etiam referens eligit sponte hanc viam; ut juramento adver- sarii causa decidatur, cum liberum ipsi fuisset jurare, & sic testimonio, ac juramento suo causam decidere. Accedit, quòd juramentum hoc judiciale habet spe- ciem transactionis, *l. 2. ff. De jurejur.* contra quam appellare, vel supplicare non licet. *l. Causas; 16. C. De transact.*

LXV. Assertio sexta. De Jure Civili à sententia lata in Judio possessorio appellari non potest; prout sumitur ex *l. unic. C. Si de moment. possess. fuer. appell.* Ratio est; quia non adfert perpetuum præjudicium, cum non præjudicet causæ proprietatis, & gravamen, quòd adfert, potest citra appellationem, facile reparari in Judio petitorio; ideoque manda- tur sententia executioni, etiam si appellatum fuerit. *cit. l. unic. salvâ tamen causâ proprietatis.* Idque locum habet in omni interdico possessorio, sive ad- piscendæ, sive retinendæ, sive recuperandæ posses- sionis; ut docet *Bart. in cit. l. unic. n. 3. & Marant. de ord. jud. p. 6. de appell. n. 294.* communiter tamen id limitant, quòd non possit in causa possessionis appel- lari, quoad effectum suspensionis; quia non obsta- tur appellatione sit executio sententiæ; ut dictum: pos- sit tamen quoad effectum devolutionis; quia admit- titur appellatio, & de causa etiam possessionis cogno- scit Juxta, ad quem fuit appellatum; ut per illam re- paratur gravamen per executionem sententiæ illa- tum. *Bart. in l. 2. n. 9. ff. De appell. recip. Abb. in c. Cum ad Sedem § 15. n. 30. de restit. spol. Mar. c. l. nisi tamen gravamen non possit reparari in Judio petito- rio: tunc enim appellari potest, etiam in causa pos- sessoria, & per appellationem suspenditur executio sententiæ; quia agitur de magno, & irreparabili præjudicio. Bart. c. l. n. 3. Mar. c. l. n. 299.*

At verò, spectato Jure Canonico, appellari po- test à sententia in Judio possessorio, quoad utrumque effectum suspensionis, & devolutionis; ut videtur expressum in *Clement. unic. de sequest. poss. in fine*; ubi deciditur, non esse quempiam beneficii possessione privandum per unam tantum sententiam in posses- sorio latam; sed beneficium esse sequestrandum apud aliquem, qui fructus ei restituat, qui victoriam ob- tinebit: deinde additur, id observandum etiam cir- ca negotia pendente per appellationem: ergo indi- cat Pontifex, appellationem esse permissam in causis possessorii. Idem probatur ex *c. Ad Sedem; 15. de restit. spoliar.* ubi sententia lata fuit in causa posses-

ria, & ad Sedem Apostolicam appellatum, ipsaque sententia cassata. Item in *c. Ex conqessione; 10. eod. tit.* mulier à denegata restitutione viri appellavit ad Sedem Apostolicam, & Papa definivit, ut mulieri vir restitueretur, & quæ post appellationem acta sunt, in irritum revocentur. Et in *c. Significaverunt; 36. de testib.* decernit Pontifex; si quarta testium pro- ductio super possessorio, cum juris solemnitate, sit petita, & à Judio, sine rationabili causa, denega- ta, & ab hac interlocutoria sententia intra decem- dium fuerit appellatum, admittendam esse appella- tionem. Denique in *Clement. unic. de caus. possess.* decernitur; ut, si causa beneficiæ per appellationem ad Sedem Apostolicam legitimè fuerit delata, tam ap- pellanti, quam appellato liceat, nedum petitorium, sed & possessorium intentare. Ratio est; tum quia de Jure Canonico appellari potest à quolibet grava- mine, & in causis etiam minimis, *c. De appellationibus; 11. h. t.* tum quia, etsi causa, seu quæstio possessio- nis, certo respectu, sit modici præjudicii, tamen alio respectu, potest maximi præjudicii esse; quia defi- cientibus probationibus super proprietate, si deficiat etiam possessio, perditur dominium rei in effectu: tum quia magnum est commodum possessionis, cum, si probationes utriusque partis sint æquales, absol- vendus sit possessor. *Abb. c. l. Barr. c. l. n. 10. Marant. c. l. n. 295. Covarr. præf. qq. c. 23. n. 8.* Quamquam *Fachin. lib. 1. controv. c. 35.* putat, non esse hac in re discrimen inter Jus Civile, & Canonicum, sed utro- que Jure appellari posse, etiam in causis possessorii, quoad effectum devolutivum, non autem suspensivum; cum textus supra allati non evincant, executio- nem sententiæ per appellationem suspendi: quod autem est constitutum in *cit. Clement. de sequest. possess.* ad beneficia Ecclesiastica solum pertinere, nec ad alias causas profanas rectè extendi; quia, si id generaliter acciperetur, latâ sententiâ in petitorio, & possessorio, sequestrationi esset locus; ut in casu illius Cle- ment. quod est absurdum; cum appellatione pendente, nihil debeat innovari.

LXVI. Assertio septima. Appellatio mani- feste frivola, & frustratoria, quæ scilicet sine legitima causa interponitur, admitti non debet. *c. Cum appella- tionibus; 5. in princ. h. t. in 6.* ubi dicitur, appella- tionibus frivolis deferendum non esse; ut, quando quis appellat, cum non sit injustè gravatus; quia ap- pellatio non est inventa, ut sit iniquitatis defensio, sed innocentie præsidium. *Gl. ibid. V. Deferendum.*

Ceterum appellatio frivola non excusat infe- riorem, seu subditum, quòd minùs teneatur obedire Superiori suo: alioquin, quia censetur illum con- temnere, puniendus est, nisi innocentiam suam pro- bet; prout sumitur ex *c. Cum parati; 19. h. t.* Nam, cum Zamorensis electus Episcopus petitiones quas- dam Alexandro III. proposuisset, easque Papa re- cipere vellet: Cardinalis Diaconus Legatus Sedis Apostolicæ proposuit, quòd, cum idem electus à se ad Synodum vocatus fuisset, & ipse accedere con- tempuisset, eundem excommunicaverit; sed ipse excommunicatus nihilominus se in Episcopum consecrari curaverit. Verùm Canonice quidam excusavit Episcopum, asserendo, ipsum eo tempore in legatione Regis fuisse; ideoque impeditum, quòd minùs accederet. Contra verò Cardinalis

„ oppofuit, quod nuncius à fe miffus, non in legatione Regis, fed in Samalitana Ecclefia Epifcopum repererit. Ulterius verò Epifcopus allegavit, quod ante latam fententiam excommunicationis, à Legato ad S. Pontificem appellaverit. Quare Alexander III. refpondit, quod non obftante appellatione, Epifcopus ad Legatum Cardinalem, poftquam ab eo citatus eft, venire debuillet; ideòque mandat eidem Epifcopo; ut apud Sedem Apoftolicam, vel per fe, & perfonaliter, vel per idoneos nuncios fe fiftat, & innocentiam fuam, fi poffit, melius probet, ac demonftrèt.

LXVII. Notandum primò, Licet alias regulariter is, cuius non intereft, fi opponere velit in iudicio, non admittatur, poteft tamen quilibet opponere exceptionem excommunicationis; quia in hac exceptione fupplere poteft Iudex ex officio, etiam nemine opponente. *Abb. hic n. 2. Alex. n. 5.*

Notandum fecundò, Licet is, qui à Superiore gravatur, fi iufte impeditus fit, quò minùs ad eundem venire poffit, etiam in abfentia eius, coram viris honeftis, appellare poffit, ita, ut gefa poft appellationem non valeant, v. g. excommunicatio lata; ut tradit *Abb. hic n. 16.* attamen, fi impeditus non fit, quò minùs ad Superiorem venire poffit, ad eundem accedere debet per fe, vel per procuratorem, & caufam gravaminis allegare; ut in propofito cafu, Epifcopus ad Legatum venire debebat, & allegare, fe iufte impeditum effe, quò minùs ad Synodum venire poffit: & tunc, fi auditus non fuiffet, fed Legatus ad excommunicationem ipfi inferendam proceffiffet, poterat coràm appellare; ut colligitur ex hoc c. Verùm Papa in cafu huius cap. non admiffit appellationem Epifcopi; vel, quia non conftabat, quòd appellaffet; vel quòd iufte, & legitima fuiffet appellatio, fed potiùs præfumptio erat pro Legato; ideòque Epifcopus citatus fuit ad Curiam Romanam; ut allegaret fuum privilegium, & ulterius, fi poffet, probaret innocentiam fuam. *Gl. hic 7. Obventu appellationis.*

Notandum tertio, Citatus, feu vocatus à duobus Superioribus, quibus eft fubiectus, fi non poffit ad utrumque venire, ad unum per fe, ad alterum per procuratorem, vel nuncium; debet ceteris paribus, parere illi, à quo priùs fuit vocatus, vel ei, qui in maiore dignitate eft conftitutus: vel ei, qui maiorem caufam, aut neceffitatem vocandi habet, vel cui fubditus arctiore obligatione eft obftrictus. Unde Epifcopus magis obedire debet vocanti Papæ, quàm Imperatori, vel Regi, propter prærogativam Sedis Apoftolicæ: quamquàm etiam Papa non poffit, fine iufte caufa, & neceffitate, Prælatum, vel aliam perfonam Ecclefiafticam impedire, quò minùs vocatus à Rege, vel Imperatore, cui iuramentum fidelitatis v. g. ratione feudi præftitit, fe coram illo fiftat. *Abb. hic num. 8. & 9. Alex. de Nevo n. 24. & feqq. Plures cafus, in quibus appellare non eft conceffum, videri poffunt apud Durand. in Specul. tit. de appellat. §. 2. Marant. p. 6. de ord. iudic. in actu 2. princ. de appellat. à n. 269. & multis feqq.*

§. VI.

De caufis commiffis, adiectà Claufula Appellatione remota.

LXVIII. Quæritur primò, An vi huius Claufulæ, cenfeatur remota, & prohibita omnis appellatio? Refpond. per huiusmodi claufulam revocari, ac prohiberi, non folùm appellationem frivolum, & frustratoriam, fed etiam iuftam, ac legitimam, fi ea non fit fpecialiter in iure expreffa, & conceffa; prout deciditur in c. *Pastoralis*; §. 3. in princ. Nam, cum ex Papa Innocentio III. quantum fuiffet, fi Papa (vel alius Princeps) in Refcripto mandet legato; ut procedat, appellatione remota; utrum folùm fruftranea appellatio inhibita cenferi debeat: Ad hoc refpondit Papa, cum per appellationem fruftraneam, etfi inhibita non fit, caufa impediti non debeat; ideo per talem claufulam quantumlibet appellacionem, quæ à Jure exprefte conceffa effe, non reperitur, remotam effe. Verumtamen, fi appellare volens iniufte gravatus fit, gravamen illud per Superiorem Iudicem tolli poterit.

LXIX. Notandum hic primò, Quamvis plures DD. teneant, per claufulam, appellatione remota, revocari, ac prohiberi tantùm appellationes frivolas, & illegitimas; quia non cenfeatur Pontifex, fed Princeps alicui jus fuum, quod ad appellandum habet, sine caufa, velle auferre; cum appellatio fit fecundum quædam defenfionis. Oppofitum tamen eft verum, nempe, quòd etiam appellationes rationabiles, & legitime, quæ fcilicet interponuntur ex iufte caufa, & non fit fpecialiter iure expreffa, prohibentur per claufulam, appellatione remota; quia aliàs fecundum priorem expofitionem, nihil, aut parum operatur ifta claufula; cum etiam ea non appofita, appellationes frivolæ fint rejiciendæ. c. *Cum appellacionibus*; h. t. in 6. ubi dicitur, quòd appellacionibus frivolis nec iufitia deferat, nec fit à Iudice deferendum. Ad verò claufula, vel difpofitio, quamvis odiofa, & orbitans à iure communi; ideòque abfolute loquendo, ftrictam interpretationem mereatur, non tamen debet ita intelligi, & restringi, ut nihil operetur, ut verba fruftra, & inutiliter prolata fint, prout tenetur ex c. *Si fententia*; §. 16. in fine, ibi: *Ne fententia obitu careat, de fent. excomm. in 6. & l. Si fupplatur*; §. 11. ff. *De V. O. ubi Bart. in princ. ait, quòd etiam contractus ftricti juris late interpretandus fit, fi aliàs non haberet effectum: imò, & verba difpofitionis, quantumvis odiofa, & pœnalis, etiam ad impropriam fignificationem extendi debent, fi aliàs fruftra effent pofita, arg. cit. c. *Si fententia*; & docet *Abb. in cit. c. Pastoralis*; n. 2. & *ibid. Alex. de Nevo*, §. 11. cetero ergo claufula, appellatione remota, valde odiofa fit, cum nemini facile remedium appellacionis fit deogandum, quippe quæ eft defenfio quædam; adeoque iure naturæ cuius competit, faltem quoad iuftitiam, etfi non quoad modum, feu formam fe deferendi; quia tamen, fi intelligeretur de appellacione frivola, feu illegitima, nullum effectum haberet, et talis appellatio jam iure communi remota, & prohibita fit; adeoque ei non fit deferendum, etiam appellatio in Refcripto non fit inhibita; quia cellat eo-*

sa finalis appellationis: frivole enim, seu frustratorie appellans non censetur gravatus; idcirco intelligi debet, per hanc clausulam etiam prohiberi appellationem legitimam; ut sic aliquid operetur ultra terminos juris communis; ut habetur in cit. c. *Pastoralis*; & tradit *ibid.* Abb. n. 2. Idemque dicendum est de clausula hac inserta in privilegiis. arg. c. *In his*; 30. de *privil.* Alex. hic n. 2. Emm. Rodriq. tom. primo qq. *Regul. g. 8. art. 14.*

LXX. Notandum secundò. Appellatio expressè à jure approbata dicitur omnis illa, quæ à jure est expressè indulta, seu concessa; ad quod non requiritur, ut jus permittat appellationem, etiam in eo casu, in quo adiecta est clausula; ut procedatur, *remotà appellatione*, sed satis est, quod appellatio expressè in jure sit concessa; ut post *Hosiens.* in cit. c. *Pastoralis*; V. *Expressè. Vers. Judices*; h. t. tradit *ibid.* Abb. n. 14. Quare, quotiescunque in Jure aliquid factum, seu processus aliquis pro gravamine agnoscitur, à quo justè appellari possit, tum appellatio admittenda est, non obstante, quod causa ab homine, vel à jure commissa sit, *remotà appellatione*: nam hæc clausula nihil operatur contra appellationem, quæ de jure expressè indulgetur, juxta cit. c. *Pastoralis*. Ratio est; quia, si gravamen sit notorium, potest appellari, etsi causa commissa sit, *remotà appellatione*, secundum *Gl. in c. Ex conquisitione*; 10. V. *Post appellationem*; 3 de *res. spoliar.* censetur autem gravamen notorium, quando Jus expressè permittit ab illo appellare. *Abb. c. l.* Nam superior committens causam, appellatione remotà, existimat, Judicem non injustè gravaturum partes: alioquin causam sic committere non posset. At, quando Judex infert gravamen, quod secundum jura censetur esse injustum, tum Judex manifestè gravat; idèoque ab eo appellari poterit, etiam si causa commissa sit, *remotà appellatione*; quia cessat præsumptio, quæ pro Judice stabat, scilicet ipsum processurum sine injusto gravamine.

LXXI. Porro exempla, in quibus admittitur appellatio, tamen si expressè in jure causa commissa sit, cum clausula, *remotà appellatione*, plura extant in Jure Canonico, veluti Primò, si Judex nolit recipere exceptionem consanguinitatis, vel etiam justæ causæ, ob quam Judex tamquam suspectus recusari potest, & ab eo appellari appellatione remotà; prout sumitur ex c. *Postremo*; 36. h. t. ubi statuitur: Si alicui causa delegata fuit, qui consanguineus sit illius, qui litteras delegationis impetravit, vel in eadem causa advocatus fuit, vel ob aliam justam causam, parti alteri suspectus, poterit talis delegatus recusari, tamen si causa commissa sit, *remotà appellatione*. Ratio est; quia appellatio, & recusatio Judicis sunt actus diversi, ac proinde, quamvis prohibita sit appellatio, non censetur etiam prohibita recusatio; quia ex diversis non fit illatio. *Vivian. in Ration. hic.* Quod si tamen Judex delegatus recusationem admittere nolit, potest ab eo recusans appellare; quia tunc gravatur, non obstante, quod causa ei commissa sit, *remotà appellatione*. *Gl. in cit. c. Pastoralis. V. Expressè*; h. t. Quin imò, quamvis Prælatus possit esse Judex in causa suæ Ecclesiæ, si tamen consanguineus illius Judex in ea causa impetratus sit, potest is recusari tamquam suspectus ab adversa parte. arg. c. *Infirmus*; 25. de *offic. Jud. de-*

leg. sicut etiam ipse Prælatus recusari potest; quia, si consanguineus Prælato præsumitur habere affectionem ad causam, licet ea non sit ipsius, sed Ecclesiæ; ratione consanguinitatis, multò magis ipse Prælatus, qui est sponsus Ecclesiæ, majorem præsumitur habere affectionem. *Abb. in cit. c. Postremo*; num. 6. h. t. *Alex. ibid. n. 16. & 18.* idque colligitur ex eodem c. ubi generaliter dicitur, quod consanguineus possit recusari, ut suspectus, non distinguendo, num causa sit propria impetrantis, an Ecclesiæ. Verum de recusatione Judicis suspecti alibi actum, & quædam etiam infrà dicentur.

LXXII. Secundò. Quotiescunque Judex delegatus (idem est de Ordinario) citat aliquem ad locum Judicii, ad quem citatus nequit securè venire, potest is exceptionem opponere, quod non sit securus ad eum accessus: quæ exceptio, si à Judice non admittatur, citatus liberè appellare potest, etiam si causa delegata sit, appellatione remotà, præterquam, si Judex alium locum securum, & idoneum designet; prout decisum habetur in c. *Ex parte*; 47. h. t. Ratio est; quia Judex ad locum Judicii citare debet, quod citatus, eiusve procurator, Advocatus, imò, & testes, securè, ac sine periculo, accedere possint. c. *Sive*; 4. *caus.* 33. qq. 2. quod si non fiat, gravamen infert, & licitè appellatur. *Gl. ibid. V. Etiam locus.*

Idque extendi debet, ut, quamvis primà, & alterà vice citatus ad locum non tutum, v. g. peste infectum, non appellaverit, possit tamen, quoties postea citatur ad locum non securum, semper appellare. Ratio est; quia Judex iterando citationem de novo gravat; idèoque semper ab hoc novo gravamine potest appellari, etiam si priùs appellatum non sit; ut colligitur ex cit. c. *Ex parte* ibi: *Quoties ad illos Indices vos evocari contigerit.* *Abb. ibid. n. 3. & 4.*

LXXIII. Ubi præterea Notandum primò. Citatus ad locum non tutum non potest statim appellare, sed priùs excipere debet, & proponere, accessum ad locum Judicii non esse securum; idque etiam probare; quia Judex non tenetur credere ei, qui opponit aliquid, per quod impediatur exercitium jurisdictionis suæ, nisi probetur, ut constat ex c. *Ex parte*; 7. de *res. ibid.* *Abb. hic n. 7.* nisi tamen notorium sit, locum tutum non esse: tunc enim non requiritur probatio, imò non appellare necesse est; quia citatio ad locum notoriè non tutum, non arctat citatum, etiam si non appellet. *Abb. hic n. 8. & Imola n. 7.* Quod si Judici notum sit, locum non esse tutum, sufficit id allegare, & postea appellare potest; quia, qui scit, ulterius certior fieri non debet, juxta *reg. jur.* 31. in 6.

Notandum secundò. Judex, à quo appellatum est, propter citationem factam ad locum non tutum, potest revocare gravamen, assignando locum idoneum, & securum, & ita impedire effectum appellationis, ut appellans ab illa cogatur recedere; ut colligitur ex fine huius c. *Gl. in. ibid. & Imola n. 4.*

Porro plura alia exempla, in quibus recipitur appellatio, licet sit remotà in rescripto delegationis, refert *Gl. in cit. c. Pastoralis. V. Expressè*; & *Durand. in spec. tit. de appell. §. 2. n. 28.* Exempla verò expressa in Jure, in quibus appellate licet à Judice, cui delegata est causa, cum clausula, *appellatione remotà*, tamen si jura non expriment, quod in iis casibus

md. An vi
prohibita omni
modi clausulam
appellationem
justam, ac legi
re expressè, & co
alis; 33. in privi
o III. quantum
in Rescripto
appellatione remota;
inhibita censetur
per appellatio
non sit, causa im
clausulam quæ
expressè concessa
Verum tamen
tus sit, gravamen
li poterit,
rimò. Quamvis
appellatione remota;
appellationes frivolas
Pontifex, seu Pr
appellandum habet
ppellatio sit spec
tamen est verius
rationabiles, & lo
tur ex jura causa,
la, prohibeatur pe
quia alias sententi
ut parum operetur
apposita, appella
em appellatio
appellationibus frivolis
deferendum.
amvis odiosa, & c
e absolute loque
neretur, non tamen
t nihil operetur, ut
ta fiat, prout sumi
bi: *Ne sententiæ*
l. *Si stipulatus*; 111.
t, quod etiam con
andus sit, si alias not
erba dispositionis
s, etiam ad impos
ebent, si alias fructu
ria; & *doct. Abb. in*
lex. de *Newo*, 8. *Li*
notà, valde odiosa sit
appellationis sit de
quædam, adeoque
tem quoad substanc
formam se detest
eretur de appella
fectum haberet, cum
i remotà, & prob
endum, etiam ap
bita; quia cessat ca
sa finalis

bus appellari possit, non obstante prædictâ clausulâ, sed simpliciter, quod appellari possit, habentur in c. Significante; 34. c. Rodolphus; 35. c. Significavit; 36. de Rescript. c. Exhibita; 19. de iudic. c. Dilecti; 8. c. Dilectæ; 10. c. Significaverunt; 11. de except. & aliis similibus. Ex quibus capitulis constat, si Iudices justam exceptionem partis admittere nolint, eam tanquam gravatam ad superiorem appellare posse. Io. Andr. in cit. cap. Pastoralis; n. 12. h. t. & Abb. num. 14.

LXXIV. Quæritur secundò. An Iudex datus cum clausula, appellatione remota, deferre debeat appellationi ex causa probabili, & iusta interposita, etiamsi ea à jure non sit expressè concessa, & approbata? Affirmat Gl. in cit. c. Pastoralis. V. Expressè; h. t. & Innoc. n. 1. quia hodie jure statutum est in c. Ut debitus; 59. h. t. ut liceat appellare ex quacunque causa probabili, per quod est correctum cit. c. Pastoralis; h. t. Sed opposita sententia est communior, & verior, quam tenet Hostiens. in cit. c. Pastoralis. V. Emendari. Vers. Sed, si bene advertat. Io. Andr. ibid. n. 13. Abb. n. 8. Idque probatur; tum quia c. Ut debitus; non loquitur de appellatione à sententia definitiva, sed ab interlocutoria tantum; hoc autem cap. loquitur indefinitè de appellatione, tam à definitiva, quam interlocutoria. Et sic non est verisimile, quod per illud cap. hoc fuerit indistinctè, & ex toto correctum. Tum quia dictum cap. Ut debitus; non loquitur de Iudice dato cum clausula, appellatione remota, sed generaliter: in isto verò c. Pastoralis; specialiter disponitur de eo casu, in quo causa commissa est, cum clausula, appellatione remota: ac proinde posterius illud cap. potius limitandum est per prius, quam hoc per illud corrigendum; quia generi per speciem derogatur. Reg. jur. 34. non è converso. Tum quia in c. Inquisitioni; 71. h. t. quod est editum post c. Ut debitus; deciditur, quid operetur illa clausula, appellatione remota, in Rescripto posita, quod non esset factum, si per dictum c. Ut debitus; illa clausula esset reddita frustratoria, & correctum c. Pastoralis. Neque verò obstat textus in c. Edoceri; 21. de Rescript. ubi deciditur, quod à sententia Iudicis delegati, cum clausula, appellatione remota, ex rationabili causa possit appellari; quia id intelligi debet de causa in jure expressa; ut sic illud c. declaratur per cit. c. Pastoralis. arg. l. Non est; 26. §. l. seq. ff. de legib. Hostiens. in cit. c. Pastoralis. V. Expressè; & Io. Andr. n. 2. V. eod. Manet igitur dispositio huius c. in suo vigore, & incorrectum.

LXXV. Quæritur tertio. Qui sint effectus huius clausulæ? Respond. præcipuè tres: primus est, quod tollat omnem appellationem legitimam, quæ non reperitur expressè à jure concessa, quoad effectum suspensivum, ita, ut non suspendatur iurisdicctio Iudicis à quo, nec is appellationi deferre cogatur; sed possit sententiam suam executioni mandare, antequam appellatio à superiore, ad quem appellatum est, ex certa scientia sit recepta, & ab eodem inhibita sit Iudici à quo, ne exequatur; ut colligitur ex c. Pastoralis; 28. §. Præterea; de offic. jud. deleg. & tradit Abb. in c. Pastoralis; 53. n. 9. & 16. h. t. vel nisi appellatum sit ex causa in jure expressa: nam hanc non tollit hæc clausula; ut patet ex suprâ dictis, vel nisi appellatum sit contra sententiam, quæ mani-

festam continet iniquitatem, juxta Gl. in c. Ex tempore; 10. V. Post appellationem; de restit. spoliat.

Porro, licet clausula, appellatione remota, impediatur appellatio, quoad effectum suspensivum, non tamen impedit effectum devolutivum, quod minus pars appellare possit, & superior, ad quem appellatum est, non obstante illâ clausulâ, appellationem admittit, & de iustitia sententia prioris cognoscere, eamque rescindere possit. cit. c. Pastoralis; in princ. h. t. ubi dicitur: Si appellans (à Iudice, cui causa commissa est, appellatione remota) iniuste gravatus sit, gravamen huiusmodi per superiorem poterit emendari, ac tolli. Abb. ibid. n. 13. & 15. & quidem non per modum supplicationis, seu querelæ, sed per viam appellationis; ut indicatur illis verbis, appellans fuerit gravatus &c. non enim diceretur appellans, nisi appellaret. Abb. c. l. n. 15.

Secundus effectus est. Iudex non deferretur ad appellationem, quantumvis probabili, quippe quæ ex iusta causa interposita est, non puniatur, nec incutatur in penam c. Decreto; 11. caus. 2. q. 6. quia, cum à ipsi à jure expressè concessum sit; adeoque iuris auctoritate eam non admittat, non peccat. c. Qui per 40. caus. 23. q. 4. nam, quod legitime factum est, nullam penam meretur. l. Grachus; 4. C. Ab leg. de adult. Abb. in cit. c. Pastoralis; n. 10.

Tertius effectus est. Attentata, post talem appellationem, non revocantur à Iudice per viam nullatenus: cum enim per eam non fuerit suspensa iurisdicctio Iudicis inferioris, à quo est appellatum, ad præ eum valida erunt, licet possint à superiore revocari per viam querelæ. Abb. c. l. n. 11. Plures effectus huius clausulæ enumerat Abb. in c. Ut debitus; 59. n. 14. & seqq. h. t. & Alex. in cit. c. Pastoralis; n. 30. & seqq. h. t.

Ceterum plures sunt casus, in quibus hæc clausula, appellatione remota, nullum effectum habet: nam primò tollit solum appellationem à sententia definitiva latâ in causa principali, non autem ab interlocutoria, quæ interponitur ab incidentibus, & accessoriis. Secundò, non tollit appellationem interpositam à gravamine notorio. Tertio, non impedit, quod minus tertius appellare possit, si eius interfit. Quartò, non tollit supplicationem ad superiorem, nec petitionem restitutionis in integrum. Barb. in tract. de Clausulis. claus. 9. n. 19. 21. 26. 27. & 33.

LXXVI. Quæritur quarto. Quis possit causam committere, cum clausula, appellatione remota? Respond. Solus Papa, tanquam Iudex supremus in causis Ecclesiasticis, vel inter personas Ecclesiasticas: in causis verò profanis, & inter laicos, solus Imperator, vel alius Princeps, seu Iudex supremus, qui Superiorem in temporalibus non recognoscit, potest alicui causam committere, ab illi facultate appellandi. c. Super questionem; 27. §. Si vero de offic. judic. deleg. & l. i. §. fin. ff. a quib. appell. non interfit, quia inferior non potest tollere jus Superioris Iudicis ad quem appellatur. Abb. in cit. c. Pastoralis; n. 4. & 5. Maran. p. 6. de actu appell. n. 326. ubi tamen id limitat, quod non possit inferior tollere appellationem à sententia definitiva, bene autem ab interlocutoria, quod Alex. in cit. c. Pastoralis; n. 20. admittit de civili, secundum quod jam remota est appellatio non interlocutoria, cum ab illa regulatiter appellari non possit.

possit; idcirco etiam inferior Judex eam tollere potest in subdelegatione causarum: secus de Jure Canonico, quo jure licitum est appellare etiam à sententia interlocutoria.

LXXVII. Queritur quintò. Utrum, si causa delegata sit continens plures Articulos, & in uno eorum removeatur, seu prohibeatur appellatio; etiam in aliis remota censeatur? Resp. 1. Si una causa principalis commissã sit in Rescripto habens plures articulos connexos, & uni illius causæ articulo adjecta sit clausula, ut appellatione remota procedatur, ea etiam reliquis articulis adjecta censetur, cum omnes articuli inter se connexi sint, & dependant ab una causa principali; prout statuitur in c. Secundo requiris; 41. in princ. h. t. Nam, cum quæ situm fuisset ex Papa Calestino III. si una causa principalis alicui delegata sit, in qua plures articuli contineantur (connexionem inter se habentes) sed in uno tantum articulo appellatio expressè sit prohibita: utrum, si super aliis articulis appellatum fuerit, appellatio teneat? Ad hoc respondit Pontifex, cum secundum S. Gregorium (lib. 26. in Job. cap. 7.) verba intentioni deservire debeant, & hæc sit intentio Pontificis, ut in omnibus articulis, qui in una commissione continentur, justitia suum effectum consequatur; ideo in omnibus articulis censei debet appellatio esse interdicta; quia nihil interest, utrum appellatio prohibeatur ab initio semel, aut iterum, in medio, an fine: quia ex utroque Jure (Canonico, & Civili) colligitur, quòd ea, quæ in principio sunt, ad medium, & finem; & illa, quæ in medio sunt, ad finem, & principium sæpe referre contingat.

LXXVIII. Ubi notandum primò. Verba cujusque dispositionis debent intelligi, & ampliari, vel restringi secundum mentem disponentis: quæ quidem mens colligitur ex ratione expressa in dispositione, vel ex illa probabiliter deducitur: verba enim sunt notæ passionum, seu signa intentionum animæ. Abb. hic n. 2.

Notandum secundò. Clausula, appellatione remota, vel alia similis, si unicum sit negotium principale, sive causa continens plures articulos, seu capitula connexa, ordinariè refertur ad omnia in eadem dispositione contenta, cit. c. Requiris; 2. cum propter connexionem articulorum, quam habent in una causa principali, non appareat ratio, cur clausula illa potiùs ad unum articulum, quam ad alium referatur, neque articuli eiusdem causæ diverso jure censei debeant; maxime, si talis clausula in principio, vel fine sit posita. Abb. hic n. 4. & 11. si verò clausula talis in medio ponatur; tunc universalis regula tradi non potest, sed attendendum est ad naturam negotij, & quanta sit inter articulos connectio. Item, an clausula ita in medio ponatur, ut sit pars unius articuli: v. g. mando tibi, ut ante omnia Episcopum spoliatum restituas, appellatione remota, & postea coadjutorem, seu administratorem bonorum ei adjungas, donec de dilapidatione sit cognitum, juxta c. Venerabili; 37. de offic. deleg. tunc enim clausula non extenditur ad alios articulos. Abb. hic num. 10.

LXXIX. Resp. 2. Si plura, seu diversa negotia, sive causæ non connexæ in Rescripto commissio-

nis continentur; tunc, si clausula, per quam tollitur appellatio, in medio Rescripti ponatur, ea ad præcedentia tantum referri debet: nisi in fine Rescripti eadem clausula repetatur: tunc enim ad omnia antecedentia extenditur; prout statuitur in c. Inquisitioni; 71. h. t. Ratio est; quia determinationes, seu restrictiones, cum sint odiosæ, respiciunt tantum præcedentia, & non sequentia, Gl. hic V. Præmissa; nisi sequentia sint illis connexa, & sit eadem ratio in utrisque. Vivian. in Ration. hic.

Potèrò quævis Clausula in fine posita regulariter non restringitur ad immediatè præcedentia, sed extenditur ad omnia in dispositione contenta, Abb. hic n. 4. de quo plura videri possunt apud Canonistas hic.

SECTIO IV.

DE JUDICIBUS, A QUIBUS, & ad quos appellari potest, vel non potest.

S. I.

A quibus Judicibus appellari potest, vel non?

LXXX. Regulariter appellari potest ab omnibus Judicibus, qui sententiam tulerunt, sive sint ordinarij, sive delegati: nam, cum appellatio sit quædam species defensionis, quæ datur oppressis contra injuriam Judicis. l. 1. in princ. ff. h. t. ab omnibus Judicibus, qui injuste gravant, ordinariè licitum est appellare, c. Omnis; 3. c. Ad Romanam; 8. caus. 2. q. 6. nec facit injuriam Judici, qui ab eius sententia appellat. l. Et in maioribus; 20. C. h. t. Durand. in spec. tit. de appell. §. 3. in princ. Marant. de ord. judic. p. 6. act. 2. n. 235. & seq.

Extenditur autem hæc regula, quòd etiam ab eo Judice, qui communi partium consensu impetratus est, appellari possit, l. Ex consensu; 23. in princ. ff. h. t. & sumitur ex c. Causam; 14. de sent. & re judic. videntur enim partes approbasse personam Judicis, non autem sententiam ferendam, quam ignorabant. Abb. ibid. n. 2. Ex quo ob identitatem rationis inferitur, quòd etiam partes, si accedant ad Judicem non suum, prorogantes jurisdictionem, ab eo appellare possint. Barr. in cit. l. Ex consensu; num. 1. Excipitur tamen casus specialis in l. Episcopale; 9. C. de Episcop. audient. ubi statuitur, si aliqui, videlicet laici non subditi jurisdictioni Episcopi, in causis civilibus, Episcopo se committant, appellationi locum non esse, idque propter dignitatem Episcopalem. Abb. c. l. Similiter, si à Judice, cuius jurisdictione prorogatur, subditi appellare non possunt, neque non subditi prorogantes jurisdictionem alieni Judicis appellare possunt; ut docet Barr. in cit. l. Episcopale; & Abb. c. l. & Gl. fin. in c. P. & G. 40. de offic. deleg. ubi rationem dat; quia jurisdictione prorogata non fit alia, cum partes jurisdictionem conferre non possint; idcircoque eiusdem naturæ manet, ita, ut, si prorogetur jurisdictione ordinaria, maneat ordinaria; si delegata ad alias causas prorogetur, maneat delegata.

LXXXI. Limitatur autem prædicta regula generalis Primò, ut non liceat appellare à sententia Papæ, vel Imperatoris, vel alterius Principis Superiorem non recognoscentis. *c. Ipsi sunt*; 16. *c. Cuncta*; 17. *caus. 9. q. 3. l. 1. §. 1. ff. à quibus appell. non licet*; ubi id stultum esse dicitur. *Maran. c. l. n. 237.* Ratio est; quia de essentia appellationis est, ut fiat à minore ad maiorem, per quem sententia minoris corrigatur: qui autem nullum recognoscit Superiorem, maiorem non habet. Quia imò à Papa non licet appellare etiam ad Concilium Generale: nam in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur omnes ij, qui ab Ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis ad futurum Generale Concilium appellant; itémque ij, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit. Idque procedit, sive appelletur à sententia, seu mandato Papæ iusto, sive iniusto; quia Bulla indistinctè loquitur, & fundatur, non in eo, an res, in qua appellatur, sit iusta, vel iniusta; sed in eo solum, quòd sic appellans injuriam facit Sedi Apostolicæ: videtur enim profiteri, Concilium esse superius Papæ, quod tam fit appellando à sententia iniusta, quàm à iusta. *Suar. dis. 21. de censur. n. 15. & 16.* Sed neque à Concilio Generali appellare licet; quia illud representat universam Ecclesiam, à qua non licet appellare: quia & injuriam facit iudicio Reverendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita revolvete, & publicè disputare contenderit; ut dicitur in *l. Nemo*; 4. *C. de summ. Trinitat. Greg. Tholosan. part. Iur. Can. lib. 5. tit. 15. de appell. c. 3.* Sed neque appellatur à sententia totius Congregationis Cardinalium; ut tradunt DD. communiter apud *Dianam in sum. V. Appellatio*; n. 6. Similiter neque à Supremis Concilijs Imperatoris, vel Regis appellare licet; quia eorum sententia nomine supremi Principis lata, eiusdem sententia censetur. *Maran. c. l. n. 240.*

LXXXII. Limitatur secundo. Ab Auditore, cui non articulus jurisdictionalis, v.g. litis contestatio, sed nudum ministerium, sive executio, sine causæ cognitione, est demandata, non appellatur; cum non sit iudex, sed merus quodammodo executor, tamen sine consensu partium datus sit Auditor, nisi indebitè gravet, aut limites sue commissionis excedat: tunc enim locus est appellationi extrajudiciali. *c. Super*; 27. *§. Verùm*; *c. §. ult. de offic. Iud. deleg.* sicut de mero executore dicitur in *c. Novit*; 43. *h. t. Durand. in specul. l. 1. part. 1. tit. de Auditore. n. 2. de quo actum li. 1. tit. 29. n. 104. & 106.*

Limitatur tertio. Ab arbitris compromissarijs, sive communi consensu partium electis appellare non licet. *l. 1. C. de recept. arbit.* Idque procedit, non tantum de Jure Civili, sed etiam Canonico ex decreto Concilij Milevitani relato in *c. à Iudicibus*; 33. *caus. 2. q. 6.* Ratio est; tum quia per appellationem suspenditur iudicium eius, à quo appellatur, quæ nulla est in arbitro: tum quia sententia arbitri non prius obligat, quàm si expressè, vel tacitè lapsu decendij fuerit approbata. *l. Cum antea*; 5. *C. eod. parti* ergo imputandum est, quòd intra hos dies non contradixerit. *Zaf. ff. de appell. tit. 2. num. 11.* Verùm ab arbitro juris, qui ex præscripto à partibus eligendus est, appellari potest. *c. Ab arbitris*; 11. *de offic. Iudic. deleg. in Sexto.* de quo dictum supra *l. 1. eod. tit.*

num. 121. Denique ab arbitramento, seu sententia arbitratoris appellari non potest, ob prædictas causas, peti tamen potest reductio ad arbitrium boni viri ratione læsionis. *l. Societatem*; 76. *in fine*; *ff. Pro iur. Zafius c. l. n. 13.*

§. II.

Coram quo Iudice sit appellandum?

LXXXIII. Assertio 1. Appellatio, sive judicialis, sive extrajudicialis, regulariter coram Iudice, qui sententiam tulit, & à quo appellatur, fieri ac interponi debet: alioquin invalida est, & nec effectum suspensivum, neque devolutivum habet. *Durand. tit. de appell. §. Qualiter*; n. 8. *Gl. in c. Appellatio*; 9. *V. Iudici*; *h. t. in Sexto.* *c. ibid. Franc. num. 7. Quierez pract. qq. lib. 1. q. 102. num. 1. & alij apud Barb. in Collect. in c. ult. h. t. n. 17.* Ratio est; quia principaliter rescinditur factum Iudicis à quo, & de eius iniquitate agitur; idèoque in præsentia eiusdem non item partis, appellandum est. Quòd si appellatio coram Iudice à quo fieri nequeat; quia copia haberi non potest; tunc appellari debet coram Iudice ad quem, si eius copia haberi possit. *c. Ad dandum*; 29. *§. Si quis*; *caus. 2. q. 6. l. 1. §. Si quis*; *ff. Quando appellandum sit. Innoc. in c. ult. in fine. n. 1. ibid. Ioan. Andr. num. 5. Franc. in cir. c. Appellatio*; n. 3. requiritur tamen, ut appellatio facta in absentia Iudicis à quo; quia eius copia haberi non potest, tunc eidem intimetur, ad hoc, ut suspendatur eius iudicium, & ut ulterius in causa procedere non possit, sed postea pro ipsam attentata revocetur. *Franc. l. 1. num. 4.* Si verò neutrius Iudicis copia haberi possit, neque Iudicis à quo, neque ad quem; tunc appellari potest, coram viris honestis, vel etiam uno honesto, adhibitis ei testibus, ut tradit *Abb. in c. ult. n. 14. l. 1. vel coram Notario*; qui testibus adhibitis, condidit instrumentum super ea re, quòd nimirum talis appellavit coram ipso, in præsentia talium testium. *Alex. de Nevo in cir. c. ult. num. 9. h. t. Necessarium tamen est, vel saltem consultum, ut hoc casu appellans protestetur coram viris illis honestis, quòd coram Iudice à quo, vel ad quem, appellasset. Si alterutrius copia, seu præsentia commodè haberi possit. *Abb. c. l. n. 3. Franc. c. l. n. 3.**

LXXXIV. Assertio 2. Si à duobus vel pluribus Iudicibus (qui omnes iudicare debent, & de causa sententiam protulerunt) appellandum fuerit, coram omnibus simul congregatis appellatio fieri debet. Quòd si fortè eorum copia, seu præsentia non facile simul haberi non possit, tum potest appellari coram singulis separatim, vel coram maiore eorum parte, & Apostoli petendi etiam sunt separatim: & valebit talis appellatio, ac si simul coram omnibus Iudicibus præsentibus fuisset appellatum: Verum tamen appellatio (sive ei, contra quem appellatum fuit) absentis, & ignorantis appellatio, & delatio negotij principalis ad Iudicem Superiorem, & termini præfixio, si subsecutæ fuerint, legitime intimari debent; prout statutum in Clement. Si à Iudicibus; 1. *h. t.* Ratio decisionis est; quia, quòd

plures Judices omnes simul debent judicare, si coram omnibus necessarium foret appellare, sæpe non potest appellatio, intra decem dies jure concessos ad appellandum interponi, eò quòd sæpe non facile possunt omnes Judices simul præsentés haberi, ut dicitur in textu: sufficit autem hoc casu, si fiat appellatio coram maiore parte Judicum; quia, quòd fit à maiore parte, censetur factum ab omnibus, c. 1. *De his, quæ fiunt à mai. part. Cap. 1. Quòd municipalem*; 19. ff. ad municip.

LXXXV. Ubi præterea Notandum primò. Dispositio huius Clement. habet locum, sive appellatum fuerit à Judicibus ordinariis, sive delegatis ad causas, sive ab executoribus ad gratias datis, sive ab arbitris juris; quia est eadem in omnibus ratio; item sive fuerit appellatum in Judicio, vel extra illud à sententia, vel à gravamine. *Gl. hic V. Iudicibus*; & *V. Appellandum*; & *Abb. n. 1.*

Notandum secundò. Quamvis liceat appellare à pluribus Judicibus separatim; non tamen potest ab uno ex pluribus Judicibus appellari, nisi appelletur simul ab omnibus; quia, quando omnes simul procedunt, & judicant, unus sine aliis jurisdictionem; appellare autem non est licitum, nisi à gravamine. Si verò unus ex pluribus Judicibus solus procedere possit, ab illo solo, si procedat, appellari potest, *Gl. hic V. Simul*; & *Abb. n. 2. & 3.*

Notandum tertio. Appellatio fieri debet in præsentia Judicis: quòd si duo sint Judices, tunc coram utroque appellari debet, si eorum copia haberi possit: si verò sint plures, quàm duo, & non possit omnium, vel maioris partis eorum præsentia haberi, nec quidem separatim; tunc facta protestatione, appellandum est coram illis, vel illo, quorum, vel cuius copia, seu præsentia haberi potest: si verò nullus reperiri possit præsens, coram Judice *ad quem* appellandum erit, si eius copia haberi possit, alioquin coram honestis personis, *Gl. hic V. Coram ipsis*; & *V. Maiori*; & *Abb. n. 3. & 4.*

Notandum quartò. Non solum appellatio, sed etiam Apostolorum petitio, & delatio causæ principalis, & termini præfixio, intra quem appellans iter arripere, & se præsentare debet coram Superiore, separatim fieri potest coram Judicibus. *Gl. hic V. Appellatione*; & *V. Præfixionis. Abb. ibid. n. 5.*

Notandum quintò. Appellatio non debet necessariò interponi, præsentè appellato, sive eo, contra quem appellatur: debet tamen illa postea intimari eidem, si ignoret, esse factam, sicut & delatio causæ ad Superiorem, & præfixio termini; quia eius interest: secus, si sciat, appellatum fuisse; quia, qui scit, ulterius certificari non debet. *Gl. hic V. Ignoranti*; & *V. Delationi*; & *Abb. n. 6.*

LXXXVI. Assertio 3. Si quis justo, seu probabili metu (eòque gravi, seu cadente in virum constantem) impediatur, quò minus à sententiâ definitivâ, vel etiam interlocutoriâ, ante sententiam, contra illum latâ appellet, is coram Judice à quo protestari potest, quòd ob talem causam, seu gravamen appellare vellet, nisi prohiberetur: vel, si coram illo Judice non potest protestari; quia eius copiam habere non potest, vel non audez; tum protestationem hanc facere potest coram viris honestis, quòd appellare non audeat, expressis causis appellationis: tunc enim perinde haberi debet, ac si appellasset, dummodo talis protestatio facta sit intra tempus (scilicet decem dierum post sententiam, aut gravamen illatum) quo licitè provocatur coram Judice à quo; prout deciditur in c. *Iustus*; 73. & *ult. h. t. & ibi Gl. in casu.*

LXXXVII. Hinc colligitur primò, quòd justus metus excuset, ne tempus currat, intra quòd tenetur quis appellare; & tum pro appellante habetur, præmissa tamen protestatione, quòd justo metu impeditus coram Judice à quo appellare non audez; aliàs metus non sufficeret. *Gl. hic in notatis. & V. Excusatz*; quæ protestatio necessaria est, ut appareat, ipsum non omisisse appellationem propter negligentiam, sed ob metum. *Abb. hic n. 2.* Ut autem metus excuset ab appellatione interponenda, requiritur, ut sit justus, id est, non vanus, sed probabilis, tamen forte metum passus suâ culpâ causam ei dederit. *Abb. hic n. 1.*

Colligitur secundò. Justè impeditus appellare, tum demum protestari potest, si copiam Judicis à quo habere non possit; alioquin appellare debet. *Gl. hic V. Coram Judice à quo*: quæ protestatio fieri debet intra decem dies, post latam sententiam, vel gravamen illatum; quia, cum æquivalet appellationi; ideo imitatur eius naturam quoad hoc, ut intra tempus concessum ad appellandum fieri debeat; ut patet ex hoc c. per quam protestationem interruptitur cursus decem dierum. *Gl. hic in notat.* neque tunc requiritur, ut formaliter interponatur appellatio, sed sufficit, si impeditus ob metum protestetur, se non aude- re appellare. *Abb. hic n. 5.*

Colligitur tertio. Qui protestatur coram viris honestis, se appellare non posse ob metum, debet exprimere causas appellationis, ut habetur in fine hujus c. saltem in genere, dicendo v. g. Iniqua sententia lata est contra me, nec audeo appellare ab illa, & hoc protestor coram vobis. *Gl. fin. hic.*

§. III.

Ad quem Iudicem sit appellandum?

LXXXVIII. Assertio 1. Appellatio regulariter fieri debet gradatim ad proximum, & immediatum Superiorem eius, à quo appellatur, non autem omisso medio, ad remotum, & mediatum; prout sumitur ex c. *Dilecti*; 66. h. t. Nam ortâ lite inter Priorem, & Conventum de lacu rubeo, ex una parte, & militem quendam ex altera, eam causam Ordinarius Magistro A. delegavit, à quo miles ad Archiepiscopum Bituricensem appellavit. Sed Prior, & Conventus excepit, quòd, cum omisso Episcopo Diocæsano, ad Archiepiscopum appellatum fuerit, ad quem gradatim appellari debuisset; ideo nec Officialis Archiepiscopi causam illam cognoscere potuerit. Sed quia exceptionem hanc Officialis admittere noluit, Prior, & Conventus ad S. Pontificem appellavit. Quare Honorius III. mandat quibusdam, ut sententias suspensionis, & interdicti in Priorem, & Conventum, post huiusmodi appellationem, ab Officiali Archiepiscopi latas, irritas esse, decernant.

Idem statutum habetur Jure Civili in *l. Imperatores*; 21. in princ. ff. h. t. ex qua constat, quod neque ad Principem, seu Imperatorem, omisso medio Judice, ad quem debuerat appellari, licitum sit appellare; sed appellans remitti debet ad Judicem immediatum, & proximum. *Durand. in spec. tit. de appell. §. Ad quem appelletur*; in princ. *Marant. de ord. judic. p. 6. in actu 2. de appell. in princ. n. 357*. Idque statutum est, ne jurisdictiones Judicum confundantur, & ne Judex medius per contemptum præteritus videatur, atque, ut partium laboribus, & expensis parcaatur. *Vivian. in Ration. hic.*

LXXXIX. Porro secundum Canones appellatio, omisso medio, & proximo Judice, ad mediatum Superiorem facta non est nulla, sed valet, si pars adversa, contra quam appellatum est, nihil opponat; ut colligitur ex *cit. c. Dilecti*; ibi: *Excipiendo*; & tradit *ibid. Gl. V. Post huiusmodi*; *Abb. n. 7. & Marant. c. l. n. 462*. quia tunc utraque pars in appellationem consentire, eique renunciare, & jurisdictionem prorogare censetur in Judicem superiorem, & mediatum: neque enim, ut appelletur gradatim ad proximum, pertinet ad substantiam appellationis; sed est solum circumstantia accidentalis, quales circumstantiæ in contractibus, aliisque actibus per pactum explicitum, vel implicitum utriusque partis tolli possunt, in quibus principaliter agitur de commo earum, *Vivian. in Ration. hic.* Nec obstat, quod Clerici jurisdictionem alieni Judicis, sine consensu Ordinarij sui, prorogare non possunt. *c. Significasti*; 18. *de foro compet. nam id intelligendum est, si Judex nullam omnino jurisdictionem habeat: fecus, si per viam appellationis adiri possit: tunc enim eius jurisdictione in causis appellationis prorogari posse videtur, quamvis per exceptionem talis Judex repelli possit; ut tradit *Alex. de Nevo in cit. c. Dilecti*; n. 15. & 16. h. t.*

XC. Verumtamen plures sunt casus, in quibus ob specialem rationem, ad Superiorem Judicem mediatum, omisso medio, seu proximo, appellari potest: & tunc contra talem appellationem excipi non potest. Et primò quidem Jure Canonico à quolibet inferiore Judice ad Papam in causis Ecclesiasticis, vel etiam secularibus quoad eos, qui temporali eius jurisdictioni subsunt, immediatè appellare licet, omittis Judicibus intermedijs. *c. Si quis vestrum*; 4. & *quatuor seqq. c. Quoties*; 16. & *c. seq. can. 2. q. 6. Gl. in cit. c. Dilecti*; *V. Post huiusmodi*; h. t. *Abb. ibid. n. 111. Durand. c. l. post princ. Marant. c. l. n. 358*. Excipitur: nisi appelletur à subdelegato delegati Papæ, qui subdelegavit, non in totum, sed aliquid sibi reservando: tunc enim, cum delegatus Papæ repræsentet personam eiusdem, non debet appellari ad ipsum Papam, sed ad ipsum delegantem. *c. Super*; 27. §. *Porro*; *de offic. deleg. Abb. c. l. Marant. c. l. n. 359*. Ratio autem huius primæ limitationis Regulæ supra traditæ est; quia S. Pontifex est Ordinarius omnium inferiorum Judicum, & cum omnibus Ordinarijs concurrat. *c. Si duobus*; 7. & ibi *Gl. V. Ad nostram*; h. t. idque ob Sedis Apostolicæ prærogativam, & plenitudinem potestatis: neque Papa communicando alijs jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, abdicat à se suam jurisdictionem, eaque se privat.

Secundo. Ad Legatum Papæ immediatè appellari potest, omittis intermedijs Judicibus, Episco-

po, Archiepiscopo &c. *Arg. c. 1. de offic. leg. h. t. communi docet *Abb. c. l. n. 12. & Marant. c. l. n. 363**.

Tertiò. Si consuetudo præscripta permittat, ad Superiorem v. g. Metropolitanum, omisso medio Episcopo appelletur. *c. Romana*; 3. in princ. h. t. in *6. Gl. in cit. c. Dilecti*; *V. Per huiusmodi*; h. t. *Abb. ibid. n. 363. Marant. c. l. num. 363*. Quarto. Si Judex mediatum seu proximum palam, & evidenter denegerit jurisdictionem, vel sit inhabilis, ratione suspensionis, excommunicationis, vel alterius inhabilitatis; tunc eo omisso, potest appellari ad eius Superiorem. *Abb. c. l. n. 11. Marant. c. l. num. 364*. Vel, si Judex inferior causam sponte ad Superiorem remittat, *Myrop. causam 1. obs. 67. Gail. l. 1. obs. 119. n. 2*.

Quintò. Si Episcopus litiget cum suo subdito, tunc eligendi sunt arbitri, à quorum sententia non appellatur gradatim, sed ad Papam. *Abb. c. l. n. 12. Marant. c. l. n. 365*. Sextò. Quando Archiepiscopus convenit subditum Episcopi coram ipso Episcopo, sequendo forum Rei, non debet appellari ad Archiepiscopum, ne hic sit Judex in propria causa. *Abb. c. l. n. 13*. Septimò. Quando concurrat jurisdictione mediata, & immediata, ut, si appelletur à subdito subditi Episcopi, v. g. à subdito Archidiaconi subditi Episcopo; tunc appellari potest, vel ad Archidiaconum, vel ad Episcopum, pro arbitrio appellantis, nam subditus Episcopi, videlicet Archidiaconus, non facit gradum cum Episcopo, sed ambo simul concurrunt. *Abb. c. l. num. 14. Alex. ibid. num. 25. in 6. q. 3.*

Octavò. Si Judex proximus sit absens, diuturno impedimento detentus, v. g. captivitate; tunc potest, præterito, appellari ad mediatum Superiorem. *Marant. c. l. n. 368*. plures aliæ limitationes videri possunt apud DD. citatos.

XCI. Assertio 2. Ab Archidiacono, aliisque inferioribus Episcopo subiectis Prælati (qui jurisdictionem habent) & eorum Officialibus appellari debet ad Episcopum Diocesenum, & non ad Metropolitanum, omisso Episcopo; nisi aliud de consuetudine Ecclesiæ, vel Provinciæ sit receptum; prout statutum est in *c. Romana*; 3. & *Ab Antiochenis*; h. t. in 6. Ratio est; quia Episcopus est primus Superior, & Ordinarius Judex suorum subditorum, *c. 1. de offic. ordin. non autem Archiepiscopus, qui non habet jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, nisi in quibusdam casibus exceptis. c. Pæralis*; 11. eod. appellatio autem regulariter fieri debet gradatim ad proximum Superiorem: per consuetudinem tamen aliud induci potest, quæ dat jurisdictionem. *Gl. hic V. Consuetudine*; nam quamvis non valeat consuetudo, ut appellari possit ad maiorem, vel parem; valet tamen, ut possit appellari ad maiorem, seu Superiorem, omisso medio; quia hoc non est contra substantiam appellationis. *Franc. hic in 1. §. 1. n. 1.* Idem etiam obtineri potest per privilegium, cum his æquiparentur. *Gl. hic V. eod.* & per legitimam præscriptionem, licet præscribi non possit, ut non appellatur ad Principem. *Franc. hic n. 2.*

Sed huic decisioni obstare videtur textus in *Referente*; 7. *de præbend.* ubi Presbyter quidam appellavit ab Archidiacono ad Archiepiscopum, omisso medio Episcopo, & appellatio fuit admilla. Respondit *Gl. ibid. V. Appellavit*; & *Gl. hic V. Consuetudine*; quod in eo loco, ex recepta consuetudine, ad Archiepiscopum

pum, omisso Episcopo, appellari poterit; sed unde constat, quòd talis consuetudo tunc ibi vigerit; sicut colligitur ex *cit. c. 3. §. 1. h. t.* talem consuetudinem in Ecclesia Rhemenfi fuisse. Quare *Abb. in cit. c. Referente; n. 4.* ait. quòd *Gl. ibi* divinet, ipsèque aliter respondet, quòd pars adversa sibi non excepit contra appellacionem; sed eam fieri permisit; ideòque valeat appellatio, Judice medio omisso. Sed neque hæc responsio ex textu colligitur. Itaque rectius dicitur, quòd, cum Archidiaconus ille in casu *cit. c. Referente*; non tantum instituendi, sed etiam destituendi potestatem exercuerit; quia Presbyterum privavit unâ Ecclesiâ; adeòque habuerit jurisdictionem intra limites sui Archidiaconatus privative, sive excluso Episcopo: & consequenter, quasi Episcopalem jurisdictionem in Clericos sibi subiectos obtinuerit: hinc, sicut ab Episcopo in causis ad Archidiacono, quippe, qui veluti partem jurisdictionis Episcopalis in certis locis eiusdem Diocesis obtinuit, ad Archiepiscopum, vi præscriptæ consuetudinis, devolvebatur: & hæc responsio non divinat; quia ex ipso textu probabiliter colligitur.

XCII. Assertio 3. Ab Episcopis Suffraganeis immediatè ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum, cui subfunt, appellari debet: idque (non solum in causis spiritualibus) sed etiam in ijs, in quibus temporalem jurisdictionem exercent: nisi fortè de consuetudine præscripta, aut privilegio, vel alio jure speciali ad alium appellandum sit; prout statutum est in *cit. c. Romana; §. Debet autem; h. t. in 6.*

Ubi notandum: Spectato jure communi, & seculari consuetudine, vel privilegio, si jurisdictione temporalis in Ecclesiam totaliter sit translata, independentè à jurisdictione Imperatoris, vel alterius Principis secularis; tum etiam in causis temporalibus appellari debet ab Episcopo ad Archiepiscopum, juxta *cit. c. 3. §. Debet autem*; quia res non solum spiritualis, sed etiam temporales Ecclesiarum sub potestate, & jurisdictione Episcoporum consistunt; ideòque, si etiam in temporalibus ab ipsis appelletur, ad Metropolitanum appellandum est. *Ioan. Andr. hic n. 9. V. Exercent. Franc. ibid. num. 2.* Excipi debet: nisi ex consuetudine præscripta, vel privilegio, vel alio jure speciali, ad alium sit appellandum; quia v. g. jurisdictionem temporalem Ecclesia ab Imperatore, vel alio Principe seculari in feudum accepit; tunc enim ab Episcopo ad Imperatorem, vel alium dominum feudi, etiam laicum appellari debet. *cit. §. Debet; in fine, & ibi Gl. V. Iure alio. & Gl. in cit. c. Solita; 6. V. Suscipiant; de maior. & obed. & constat ex c. T. ansmissa; 6. & c. seq. de for. compet.* quia tunc Episcopus cognovit causam, quasi Judex civilis, seu secularis. Idemque dicendum, si is, qui concessit jurisdictionem Episcopo, sibi jus appellacionum reservavit. *Gl. in cit. §. Debet; V. Iure alio; in addit.* Porro, si Episcopus, vel alius Prælati sit exemptus, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectus; tunc ab eo, non ad Metropolitanum, sed ad Papam, etiam in causis temporalibus, appellari debet; ut tradit *Greg. Tholos. de appellat. l. 4. c. 3. n. 17.* Ab Archiepiscopo verò ad Patriarcham, seu Primate appellandum est. *c. Si quis; 7. caus. 2. q. 6. c. Si inter; 3. caus. 6. q. 4. c. Presbyteri; 34. caus. 11. q. 3.*

XCIII. Assertio 4. Ab Officiali, seu Vicario Generali Episcopi (qui generaliter de causis ad ipsius forum pertinentibus, eius vices supplendo, cognoscit) non ad Episcopum, sed ad Curiam Archiepiscopi appellari debet: quia, cum Suffraganeorum, & eorundem Officialium, seu Vicariorum Generalium unum & idem sit Consistorium, sive Auditorium, si ab Officiali aliquo appellaretur ad Episcopum, cuius est Officialis, ab eodem ad eundem, sive se ipsum appellatio interponi videretur; prout statutum est in *cit. c. Cum Romana; 3. in princ. h. t. in 6.* Imò neque consuetudo contraria valet, *c. 2. de consuet. in 6.* Et hinc neque à Consistorio Cæsareæ Imperialis ad Cæsarem appellari potest; quia, cum ipsum Cæsarem repræsenter, sive concurrentem cum eo jurisdictionem habeat in causis justitiæ, non censetur habere Superiorem, ad quem appellari possit. *Gail lib. 1. obs. 41. n. 8.*

Porro, etsi à Vicario generali, propter gravamen ab eo illatum ad Episcopum appellari non potest, supplicari tamen Episcopo potest; ut docet *Ioan. Monach. in cit. c. Romana; n. 3.* quòd tamen *Io. Andr. hic n. 2. & Franc. n. 5.* aiunt, intelligendum esse, non de supplicatione propriè dicta, quæ sit contra jus, & in præjudicium alterius; & fieri non potest, nisi coram Principe; sed de supplicatione latè sumpta pro restitutione in integrum. Deinde à Vicario Episcopi, non generali, sed particulari in certa parte Diocesis, qui dicitur Vicarius foraneus, seu ruralis, ad Episcopum appellari potest. *Marant. c. l. n. 370.* Denique à Judicibus ab Episcopo delegatis, etiam ad Universitatem causarum, appellandum est ad Episcopum, qui delegavit; & non ad Metropolitanum, cum Episcopus, & eius delegatus habeant diversum tribunal, & Consistorium, ut ex dicendis patebit.

XCIV. Assertio 5. A sententia Judicis delegati ad unam, vel plures certas causas, appellandum est ad delegantem, vel eius Successorem in officio, & non ad alium Superiorem. *l. 1. in princ. ff. quis; & à quo appell. l. Imperatores; 21. §. 1. ff. h. t. nisi delegatus totam causam subdelegaverit, ita, ut nihil jurisdictionis in ea sibi reservaverit; tum enim non ad eum, sed ad eius Superiorem, sive primum delegantem, omisso medio, appellandum est: si verò delegatus non subdeleget totam causam, sed aliquid sibi reservet; tunc appellatur ad ipsum proximum subdelegantem, c. Super; 27. §. Porro; de offic. deleg. Marant. c. l. n. 375.* Verùm de hoc plura dicta sunt *supr. lib. 1. tit. 29. n. 109. & tribus seqq.*

XCv. Illud hic queri potest, si Episcopus alicui causam deleget, poteritne appellari ad Vicarium generalem ipsius? Negat *Ioan. Andr. in c. Si contra; 4. de offic. deleg. in 6. & Abb. in c. Dilecti; 66. n. 3. h. t.* quia Episcopus, dum causam alteri specialiter delegat, hoc ipso eam tollit à jurisdictione Vicarij. Idemque est, si Judex ab Episcopo ad unam causam delegatus recusetur. Excipe, nisi Episcopus absens sit, seu in remotis; tunc enim per episcopiam censerit debet, eum contentum esse, ut in sua absentia Vicarius eius de causa appellacionis, vel recufacionis cognoscat; ut limitat *Abb. c. l.* Contrariam tamen, & negativam sententiam tenet *Alex. de Nevo in cit. c. Dilecti; n. 9. & 10. h. t.* quòd à delegato Episcopi appellari possit ad eius Vicarium, etiam eo præsentè, idem-

que possit de causa recusationis cognoscere; quia, licet Episcopus, delegando ipsam causam principalem, à jurisdictione Vicarij avocaverit, seu removerit, non tamen sequitur, quòd etiam causam appellationis, vel recusationis removerit; quia à diversis non fit bona illatio, c. 2. de transl. Episc. l. Neque; 10. C. de probat. Accedit, quòd, si appelletur ad Archiepiscopum, Vicarius eius generalis appellationem recipere, & de ea cognoscere potest. c. Dilecti; 55. h. t. c. 3. in princ. eod. in 6. quia tribunal, seu jurisdicção Vicarij non est diversa à jurisdictione Archiepiscopi, vel Episcopi, sed veluti pars eius, c. 1. de Offic. Vic. in 6. adeòque factum coram Vicario, censetur factum coram Episcopo. Et hac sententia posterior videtur de jure verior; prior verò procedit, si constet, vel ex adjunctis circumstantiis verisimiliter cognosci possit, quòd Episcopus omnino voluerit causam alteri specialiter delegatam à jurisdictione Vicarij eximere, & remove, quod in dubio non est præsumendum, si sit ex causis, quæ alioquin ad Officium Vicarij spectant.

§. IV.

Proponuntur alia quedam quæstiones circa Iudices, ad quos est appellandum.

Quæritur primò. Quid juris sit, si uterque litigantium appellet ad diversos Iudices?

XCVI. Resp. Si utraque pars litigantium à sententia Iudicis lata super eodem negotio, seu causa, quatenus ea ipsis contraria est (quia utraque præten- dit, se gravatam esse) ad diversos Iudices, inferiorem, & superiorem appellet, tenetur appellans ad Superiorem citatus à Iudice inferiore comparere, ad allegandam appellationem suam: alioquin inferior Iudex contra eum jure procedere poterit, nisi sciat, appellationem interpositam esse ad Iudicem superiorem; » prout sumitur ex c. Si duobus; 7. h. t. ubi ita statuitur: Si duo, v. g. Titius, & Caius, coram suo Iudice, v. g. Episcopo litigent, & uterque appellet super eodem negotio, seu causa, Titius ad Papam, Caius ad Archiepiscopum (qui est proximus, & immediatus Superior Episcopi) tum, si Iudex inferior, videlicet Archiepiscopus, nesciat, appellatum esse ad Tribunal maius, nimirum Papæ, eò quòd Caius appellans ad Archiepiscopum, ad eum veniens nullam mentionem fecit de appellatione à Titio interposità ad Papam: hoc casu Iudex inferior, videlicet Archiepiscopus, Titium citare, & si non compareat per se, vel per procuratorem, vel aliàs contumax existat, excommunicare potest, & excommunicatio in eum promulgata valet. Si verò Iudex inferior, nempe Archiepiscopus sciverit, appellatum esse à Titio ad Sedem Apostolicam; tum procedere non potest, neque excommunicatio contra eundem loca valet. Ratio prioris decisionis est; quia Iudex Ordinarius, & immediatus appellationis, videlicet Archiepiscopus, per se habet jurisdictionem in hanc personam, & causam, sed quæ per exceptionem elidi potest,

nempe, quòd adversa pars appellavit ad Iudicem superiorem, scilicet ad Papam; & ideo, quàm diu citando contra jurisdictionem Iudicis inferioris, opponitur, potest is validè procedere, & adversarium citare, qui, si citatus non compareat, in contumacia constituitur. l. 2. ff. Si quis in iur. vocatus. Ideòque & excommunicare eum potest. Gl. in c. Si duobus; 7. Tenebit; 7. Abb. ibid. num. 3. v. g. dicatur, Clericum hominem occidisse; ideoque ad Episcopo suo citetur, debet is comparere, & allegare, quòd in loco Diæcesis exempto occiderit, ne alioquin ordinariam potestatem Episcopi contemneret videatur: nisi notorium sit, Iudicem citanti nullam jurisdictionem competere: tunc enim citatus non tenetur comparere, nec allegare, quòd notorium est; quia frustra allegaretur. Alex. in c. 6. Si duobus; num. 27. Ratio posterioris partis est; quia, cum una & eadem appellatio, super eadem causa, non possit tractari coram diversis Iudicibus, ne cause contentia dividatur; ideo appellatio interposita ad Iudicem superiorem prævalere debet ei, quæ fuit interposita ad inferiorem; quia potestas, & jurisdictionis Iudicis superioris absorbet jurisdictionem inferioris. Arg. l. Contra; 54. §. Is, qui; ff. de re judic. ut proinde Iudex inferior non potest procedere, si Iudex appellatum esse ad Tribunal maius. Abb. c. l. n. 3. qui enim aliquid scit, de eo amplius certiorari non debet. Gl. ibid. V. Nisi cognoverit. Addit tamen Abb. hoc procedere, non solum in Papa, ut in casu huius, sed etiam in quovis alio superiore Iudice, ad quem potest, omisso medio, appellari, ut in Legato Sedis Apostolicæ: si verò sit talis Iudex superior, ad quem non potest, omisso medio, appellari, quòd tunc prævaleat appellatio interposita ad Iudicem inferiorem, ad quem gradatim, & legitime fuit appellatum.

XCVII. Porrò dispositio cit. c. Si duobus; 7. habet locum, si ab utraque parte litigante appellatum sit ad diversos Iudices, quorum unus sit superior altero, super uno, eodemque negotio, seu causa, quæ contineat capitula connexa: tunc enim prævaleat appellatio ad Papam, vel alium superiorem Iudicem, & jurisdictionem inferioris absorbet: ut dictum: & colligitur ex cit. c. ibi: Super eodem negotio: secus est, si sit appellatum à sententia, ad diversos Iudices, quæ continet plura capitula separata, & non connexa; tunc enim utraque appellatio valet, nec una elidit aliam; quia sunt appellationes separata, & distinctæ factæ à diversis sententiarum, quot sunt capitula diversa, & non connexa, tot censentur esse sententiæ. Barb. in Collect. in c. Si duobus; n. 2.

XCVIII. Quæritur secundò. An à Iudice seculari appellari possit ad Ecclesiasticum, saltem ad Papam? Resp. Si quis à Iudice seculari, ante, vel post sententiam definitivam, ad Sedem Apostolicam appellavit: tum, si Iudex à quo sit subiectus temporali jurisdictioni Ecclesiæ Romanæ, valet appellatio; alioquin verò, si sit extra territorium jurisdictionem Papæ, spectato Iure communi, non valet, tamen secundum consuetudinem valere possit; prout decernitur in cit. c. Si duobus; §. Denique; h. t. Ratio est; quia Papa in causis temporalibus Christianorum laicorum Ius

communi jurisdictionem non habet, nisi ij temporali eius jurisdictioni sint subiecti. *Arg. c. Novus; 13. de iudic. neque debet se in his intrinsece, in praxi iudicium potestatis secularis; ideoque à laicis regulariter ad Papam non appellatur.*

Hinc inferitur, quòd valeat consuetudo, ut à Iudice laico, etiam in rebus temporalibus ad Papam, vel alium Iudicem Ecclesiasticum appelleretur. *Arg. c. Quòd si Clericus; 5. et c. Licet; 10. de foro compet. & tradit Abb. in cit. c. Si duobus; n. 8. non tamen vice versà, valet consuetudo, ut à Iudice Ecclesiastico appelleretur ad secularem; quia appellatio fit à minore ad maius tribunal: maius autem, & dignius est Tribunal Ecclesiasticum, quàm seculare; ideoque ab isto ad illud appellari potest, non autem è converso.*

Potro vacante Imperio Romano, cum non potest recurri ad Iudicem secularem Superiorem, posse appellari ad Papam, habetur in *cit. c. Licet; de foro compet. & tradit Gl. hic V. Credimus.*

XCIX. Quæritur tertio. Ad quem appellandū sit à collatione beneficii facta communiter ab Episcopo, & Capitulo? Resp. à collatione beneficii vacantis facta simul per Episcopum, & Capitulum Cathedralis non potest appellari ad eundem Episcopum, si ipse interfuit, ut Prælati, seu Episcopus: secus verò, si ut Canonicus; prout deciditur in *c. A collatione; ne; 11. h. t. in Sexto.* ubi talis casus proponitur: Titius postquam intellexit, beneficium vacans per Episcopum, & Capitulum Cathedralis communiter collatum esse Caio, voluit ab ea collatione tanquam in suum præiudicium facta appellare (quia fortè lis super eo beneficio inter Titium, & possessorem defunctum erat contestata; ideoque eà pendente, collatio fieri non debebat, *c. 1. Vi lite pendente &c. in Sexto.*) unde quæsitum fuit, ad quem possit appellare, utrum ad Archiepiscopum, an ad ipsum Episcopum? Respondit Papa Bonifacius VIII. Si Episcopus interfuit collationi beneficii, eamque fecit, unà cum suo Capitulo, tanquam Prælati, seu Episcopus; tum ad ipsum appellari non potest, sed ad Superiorem eius proximum, videlicet Archiepiscopum, vel Papam appellandum est. Si verò collationi beneficii interfuit, non ut Episcopus, sed ut Canonicus tantum, tum ad ipsum ut Episcopum appellari potuit. *Gl. ibid. in casu.* Ratio primæ partis est; quia, si interfuit, ut Prælati & appellaretur ad Episcopum; tum appellaretur ad eundem, qui actum gessit, videlicet beneficium contulit: nam verè dici potest, quòd Episcopus, seu Prælati illud contulerit, licet non solus, sed unà cum Capitulo tanquam Caput cum suis membris; & sic appellaretur ab eodem ad eundem: quod fieri non potest, cum appellatio sit provocatio ad alterum, eumque Superiorem. In dubio autem præsumitur ut Prælati interfuisse, nisi de contrario constet, vel ex probabilibus conjecturis colligi possit. *Gl. hic V. Prælati;* adeoque etiam stante tali dubio, debet ad Superiorem Episcopi appellari. *Io. Monach, hic, & Franc. n. 3.* Ratio posterioris partis est; quia, quando Episcopus interfuit, ut simplex Canonicus tantum; tunc non dicitur canonicum actum gessisse, seu beneficium contulisse,

sed totum Capitulum, quandoquidem etiam, eo absente, vel contradicente, collatio, vel alius actus Capitularis fieri potuisset: quod enim Universitatis nomine fit, non à singulis, sed à tota Communitate fieri dicitur. *Arg. l. 2. & l. Sicut; 7. ff. Quòd cuiusque univ. nom. ergo, cum appellatio regulariter fieri debeat gradatim ad proximum Superiorem, & proximus Superior Capituli sit Episcopus; ideo à collatione beneficii, vel alio actu gesto à Capitulo, cui Episcopus interfuit ut Canonicus tantum, ad ipsum potest, ac debet appellari, nisi appelletur ad Papam. *Gl. hic V. Potuisti.**

C. Ubi præterea Notandum primò. Collatio beneficii dicitur communiter pertinere ad Episcopum, & Capitulum, sive Episcopus interveniat ut Prælati, sive ut Canonicus tantum; ut colligitur ex hoc *c. si tamen Episcopus conferat uni, & Capitulum alteri, neutra collatio valet, sed requiritur, ut Episcopus conferat saltem cum maiore parte Capituli. Franc. hic n. 1.*

Notandum secundò. Unus, idemque homo diversas veluti personas gerere, & secundum diversas qualitates censerì potest; ut patet ex hoc *c. potest autem saltem per dispensationem fieri, ut Episcopus aliquis simul sit Canonicus sive Ecclesiæ Cathedralis, vel quia collatio beneficii facta est, antequam eligeretur in Episcopum, cum adhuc esset simplex Canonicus, de quo suo loco. Quòd si Episcopus conferat beneficium, cum consensu Capituli, licet tunc habeat vocem in Capitulo, tanquam unus ex Canonicis: tamen erit appellandum, non ad Episcopum, sed ad Superiorem ipsius; quia, cum hoc casu Capitulum non habeat jus conferendi, ab ipsius collatione non potest appellari; quia aliud est conferre, aliud consentire conferenti. *Franc. hic n. 4.**

Notandum tertio. Si dubitetur, an Episcopus interfuerit actui Capitulari, ut Episcopus, an ut simplex Canonicus, id cognosci potest ex circumstantiis: si enim præsideat Capitulo, & in illo teneat primum, & honoratiorem locum, censetur in illo esse tanquam Episcopus, seu Prælati, alioquin solum ut simplex Canonicus. *Gl. hic in casu; & V. Prælati.*

Notandum quarto. Si duo, qui diversos Superiores, seu Iudices habent, ut in casu huius *c. Episcopus, & Capitulum*, gravamen indivisibile inferant, v. g. conferendo communiter, ac simul idem beneficium, hoc casu appellandum est ad Superiorem dignioris, ut in proposito ad Archiepiscopum, qui est Superior Episcopi, si hic ut Prælati interfuit collationi; quia compositum ex duobus simplicibus est talis natura, seu conditionis, ut dignius trahat ad se minus dignum; Episcopus autem est dignior Capitulo, sicut caput membris. Si verò Episcopus interfuit solum ut pars Capituli, sive unus ex Canonicis; tum nihilominus appellandum est à Capitulo ad ipsum Episcopum; quia gravamen illatum à Capitulo non censetur illatum à singulis; sicut nec debet, vel creditum Capitulo est singulorum. *l. Sicut; 7. §. 1. ff. quòd cuiusq. univ. nom.* ideoque non habetur consideratio Episcopi, si interfuit actui Capitulari solum ut simplex Canonicus, ut doctè notavit

Anchar. hic not. 3.

SECTIO V.

DE FORMA, SEU MODO
appellandi, & quoties appel-
lare liceat?

§. I.

Quomodo interponenda sit ap-
pellatio?

CI. Assertio 1. Appellatio fit, vel illico, seu incontinenti à sententia lata, id est, Iudice adhuc pro tribunali sedente, aut eo nondum ad extraneos actus divertente, vivâ voce. l. *Litigatoribus*; 14. *junct. Gl. V. Illico*; C. h. t. l. à *sententia*; §. §. *fin. ff. eod.* sufficitque tum dicere: *Appello*. l. 2. *ff. h. t.* & hoc scribi in actis per Notarium. *Marant. de ord. judic. p. 6. in actu 2. princ. n. 124. & seq.* Vel ex intervallo fieri debet in scriptis, per libellum appellatorium, qui contineat, quis appellet, contra quem, & à cuius sententia. l. 1. §. *fin. ff. h. t. l. 1. §. fin.* & ibi *Gl. V. Libellos*; C. *eod. Durand. in specul. tit. de appell. §. Qualiter*; 6. *in princ. Marant. c. l.* Idemque est, si non exprimat nomen Iudicis ad quem; quia censetur appellatum ad eum, ad quem de jure provocari debet. *Marant. c. l. n. 120.* Similiter, etsi in usu sit, ut in libello appellatorio exprimat nomen Iudicis à quo, non tamen id est absolutè necessarium; ut colligitur ex *cit. l. 1. §. fin. ff. h. t.* ubi nulla fit de Iudice à quo mentio.

CII. Porro, si appellatio in scriptis Iudici, à quo appellatur, sit tradita (quando scriptura requiritur) ea valet, tamen si coram ipso lecta non fuerit; prout statuitur in c. *Appellatio*; 9. h. t. in 6. Ratio est, quia quamvis appellatio debeat interponi coram Iudice à quo; non tamen est necesse, ut ei in scriptis porrecta coram eo legatur; quia in *cit. l. Eos*, qui. §. *fin. C. h. t.* ubi requiritur, ut appellatio Iudici à quo in scriptis offeratur, ut scilicet obviare possit appellanti, si variare velit: nulla ibi fit mentio, ut illa coram ipso legatur. Néc obstat, quòd non sufficit, ut sententia definitiva partibus in scriptis porrigatur, sed insuper requiritur, ut etiam ex scripto recitetur, seu legatur. c. *ult. de sem. & re judic.* nam non tanta requiritur solemnitas in appellando, quanta in definiendo: alioqui etiam die feriato non posset appellari, sicut non potest sententia proferri. *Gl. hic V. Lecta*: & quia per sententiam definitivam Iudex potest magis lædere eum, contra quem ea fertur, quam possit pars per appellationem; ideo in hac cautius fuit providendum. *Wiam. in Ration. hic.* Accedit, quòd de jure plus non requiritur, quam ut appellatio Iudici in scriptis assignetur, seu porrigatur: assignatio autem potest fieri verbis, nutu, testamento, aut codicillis. l. *Assignare*; 107. & ibi *Gl. V. eod. ff. de V. S.* & secundum Jus Canonicum, assignare, seu porrigere est idem, quod præsentare; præsentatio autem lectionem non requirit. *Gl. fin. junct. Gl. marg. lit. E. & Ioan. Monach. ibid. num. 1. & 2.*

CIII. Assertio 2. Appellari potest, sive voce, sive scripto, non tantum per verba expressa, veluti *appello*, *provoco*, sed etiam per æquipollentia:

nam, etsi aliquis ad Superiorem provocatus non utatur verbo *appellandi*, sed alio æquivalente, in eius intentio sufficiens exprimat, ut, si quis ad Iudicem ordinario v. g. Episcopo dicat; *commodo*, vel (subijcio me protectioni Papæ, vel aliter Superioris, licet non fuerit usus hoc verbo, *appello* vel *provoco*, censetur appellasse, & sententia in talem appellationem contra ipsum lata, sine causa cognitione, non tenet; ut constat ex c. *Ad iudicium*; 34. h. t. Nam, cum Episcopus Zamorensis, & G. Presbyterum, & Rectorem Ecclesie S. Jacobi, multis molestiis affecisset; ideo tandem Rectorem se, & Ecclesiam suam protectioni Sedis Apostolicæ subiecit, seu commisit. Sed quia dictus Rectorem, ob simplicitatem, fortè verbum *appello* non expressit, Episcopus in eum, postquam patronium Sedis Apostolicæ invocavit, sententiam excommunicationis promulgavit; prout habetur in integra lectione huius c. Hoc intellecto, Alexander III. respondit; quia prædictus Rectorem, postquam se, & sua Romani Pontificis protectioni subiecit, non debuit, nec potuit, sine præmissa causæ cognitione, sententia aliquâ condemnationis idcirco mandat Papa Episcopo Abulenti, ut, si ita esse, sicut narratum est, ipsi contulerit, sententiam excommunicationis, quam Episcopus in eundem Rectorem tulit, declarat esse irritam. Ratio est; quia, quando non requiritur certa forma verborum ad actum aliquem, ita, ut sit de substantia eius, juxta l. 1. *ff. de V. O. & c. unic. de postulat. in 6.* tum sufficit exprimere conceptum, & effectum rei per verba æquipollentia; quia tunc non verè considerari debent, sed potius intentio loquentis cui verba inservire debent, non intentio verborum. *In his*; 15. *De V. S.* ubi exemplum simile habetur quòd valeat sententia Iudicis, etsi non utatur verbis, *condemno*, vel *absolvo*, sed dicat, *ita facis*, & *procipio*; quia talis locutio in effectu significat condemnationem, vel absolutionem: sicut, si quis dicat, *Submitto me protectioni Superioris*, in effectu significat appellationem, ad quam non est præmissa certa forma verborum, modò serventur, quæ in appellatione aliàs necessariò servanda sunt. *Abul. n. 2. 3. & 5.*

CIV. Hinc colligitur primò. Quotiescumque submittendo se protectioni Superioris, servanda sunt quæ in appellatione servanda sunt; tum ea libere vim appellationis; idque procedit, sive appellatio Iudicio, sive extra Iudicium; & sive quis se submittat protectioni Papæ, sive etiam alterius Iudicis, sive inferioris, v. g. Metropolitanæ; quia est æquatio in alio Iudice ad quem, cum sit Iudex appellationis, quæ in Papa. *Abb. hic n. 5. & 6. & de Nevo ibid. n. 5. & 6.*

Colligitur secundo. Quamvis Clerici recipiant sub generali protectione Papæ, non ideo eximuntur à jurisdictione Episcopi Diocesani, c. *Ex parte*; infra de *privil.* tamen in hoc c. agitur de protectione speciali, quæ obtinet vicem appellationis, & ibi constabat, Clericos subesse suis Episcopis, hic verò non constabat, Presbyterum G. sub Episcopo Zamorensi; imò is erat in possessione libertatis. *Gl. hic V. Nostra protectionis*; & *Hofst. V. eod.* Unde etiam sententia excommunicationis

contra eum ab Episcopo fuit irrita, tum quia lata à non suo Iudice, tum quia post appellationem. *Gloss. fin. hic, & Hostiens. in fine.*

Colligitur tertio. Quod dicitur in *cit. cap. Ad audientiam*. Rectorem condemnari non potuisse, si- ne causæ cognitione, ea verba non debent referri ad Episcopum, à quo appellatum fuit, cum is, ne quidem cum causæ cognitione, post appellationem potuerit procedere ad excommunicandum; quia per appellationem suspensa est eius Iurisdicção: sed id ita intelligendum est, quod, postquam Rector appellavit, non potuerit condemnari, nisi cognita prius causâ appellationis, de cuius iustitia Iudex à quo cognoscere non poterat. *Abbas hic num. 6.*

CV. Assertio tertia. Non solum verbis, sed etiam ipso facto appellari potest: nam, qui in aliqua causâ iter facit ad Romanam Curiam, seu Papam, vel etiam ad aliam Superiorem, censetur appellasse, & si interim excommunicatur, excommunicatio non valet; prout statuitur in *cap. Diligenti; § 2. hoc tit.* Nam lite orta inter Archiepiscopum Cantuariensis sem, & Priorem, ac Monachos Cantuariensis Ecclesie, super quadam Capella, Monachi miserunt duos ex Fratribus Roman ad S. Pontificem, quos Archiepiscopus post arreptum iter excommunicavit: quo audito, respondit Innocentius III. cum plus sit, ad Sedem Apostolicam appellare facto, quam verbo, Monachi autem hoc ipso, quod ob dictam causam ad Sedem Apostolicam accesserunt, provocasse censeantur ideo mandat quibusdam Prioribus, ut Monachos illos excommunicationis vinculo non esse ligatos, denuncient.

CVI. Ubi Notandum primò. Sicut excommunicatio lata post appellationem iudicalem non tenet, ita neque post appellationem extrajudicalem; ut patet ex hoc cap. vnde, qui timet, ne iuste excommunicetur à Superiore, habet paratum remedium; ut appellat, etiam extra Iudicium, & suspendat Iurisdiccionem Iudicis à quo. *Abbas hic n. 2.*

Notandum secundò. Ad substantiam appellationis non est necesse, ut expressè fiat per verbum *Appello*, sed satis est, aliquid dicere, vel facere, quod æquivalet, v. g. arripiendo iter ad Superiorem appellandi causâ: id enim vim appellationis habet, dummodo serventur ea, quæ in appellatione verbis expressa servari debent. *Abbas hic num. 4. & 5.* Idem habetur in *cap. Cum olim; 7. de dolo, & contum. ibi: Etsi non verbo, facto tamen intelligitur provocasse, arrepto itinere ad Sedem Apostolicam.* Imò universim loquendo, plus est aliquid factis demonstrare, quam verbis exprimere. *Gloss. hic V. Facto provocare.*

Notandum tertio. Non potest appellari extra Iudicium per arreptionem itineris, nisi ad eum Superiorem, qui per viam querelæ adiri potest, citra omnem appellationem; quia illa appellatio extrajudicialis est quædam querimonia, & provocatio à causâ. Exemplum habetur in executore, & Vicario, seu Officiali Episcopi, à quibus appellari non potest, & tamen locum habet querelæ, & supplicatio: secus est, si Superior non possit adiri per viam querelæ: tunc enim arreptio itineris ad eum non habet vim appellationis

extrajudicialis; ut est Archiepiscopus, respectu subditorum sui Suffraganei. At verò, quando appellatur judicialiter, quamvis non sit necesse expressè proferre vocem appellandi, sed quovis verbo, aut facto voluntas appellandi exprimi possit: requiritur tamen, ut Apostoli petantur, & alia fiant, quæ ad iudicalem appellationem sunt necessaria: cum enim appellatio, quæ fit facto, æquiparetur appellationi, quæ fit per vocem, *appello*, ac velut in locum eius succedat; ideo eadem etiam in illa servari debent: & tunc arreptio itineris devolvit causam ad Superiorem, sicut appellatio iudicialis, quæ fit voce. *Abbas hic n. 6. & 7.*

CVII. Assertio quarta. Appellatio generalis, id est, facta super omni causâ, quæ contra appellantem posset aliquando moveri, non valet; prout statuitur in *cap. Inter cetera; 2. hoc tit.* Nam, cum Abbas S. Apollinaris appellationem generalem ab Archiepiscopo Rhemensis interposuisset, super omni causâ, quæ aliquando adversus eum moveri posset: Alexander III. censuit, hanc appellationem non esse admittendam, sed Abbatem ita appellatorem redarguit. Ratio est; quia, qui appellat super omni causâ, quæ aliquando contra ipsum moveri potest, is in præsentem non potest prætere illud gravamen; ideoque talis appellatio non restricta ad certam causam non tenet. *Vivian. in Ration. hic. Ex quo inferit Gloss. hic V. Appellationem.* Quod non valet in genere, quandoque valet in specie.

CVIII. Præterea non valet appellatio, si quis generaliter appellet ab omni gravamine, quod sibi inferri posset. At verò, si quis generaliter appellet ab aliquo Iudice super omni gravamine, quod in certa causâ sibi inferendum esse, timet, tenet eiusmodi appellatio, eique ab eodem Iudice est deferendum; prout respondit Alexander III. in *cap. Consuluit; 18. hoc tit.* Nam, si quis in uno Articulo, v. g. super dilationibus, vel super expensis gravetur, potest generaliter appellare à quo, cunque gravamine ipsi in hac causâ inferendo, ita, ut tota causâ ad Superiorem Iudicem devolvatur.

Talis autem appellatio hoc operatur, ut, licet Iudex à quo ei non deferat; Iurisdicção tamen ipsius sit suspensa, quoad totam causam, ita, ut, si iustificata fuerit appellatio, omnia acta, seu attentata circa eandem causam rescindenda sint, etiam si ea contineat Articulos separatos, & non connexos. *Alexand. de Novo hic n. 2.*

Porrò, ratio diversitatis, cur appellatio generalis ab omni gravamine futuro non valeat, tametsi generalis appellatio restricta ad certam causam valeat; ratio, inquam, diversitatis est; quia appellatio est inventa ad removendum gravamen: sed quando appellatur generaliter ab omni gravamine, quod sibi inferri potest, non potest præter illud gravamen de præsentem; ideoque non tenet appellatio: cessante enim causâ, cessat effectus, juxt. *cit. cap. 2. hoc tit.* cum quo consentit hoc cap. quoad priorem partem. At verò quando appellatio restringitur ad certam causam: tunc vel gravamen præcessit, vel præteritur de præsentem in aliquo Articulo: qui cum contineatur in illa causâ, videtur tale gravamen totam causam quodammodo contigisse, ob

se, ob connexionem, seu unitatem causæ. *Abb. in cit. cap. Consuluit; n. 3. h. t.*

An autem valeat appellatio alternativa, v. g. appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam, sive de Jure Civili, sive etiam Canonico, videri potest apud *Abbat. in cit. cap. 2. num. 11. & Alexand. ibid. num. 23. & seqq. h. t.* Item, an valida sit appellatio copulativa ad plures diversos Judices, v. g. appello ad Archiepiscopum, appello ad Legatum Sedis Apostolicæ, appello ad Papam, videri potest apud *Alexand. cit. loc. num. 31. & alios.*

§. II.

De forma, seu modo appellandi à sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali.

CIX. Assertio 1. Appellatio, quæ fit in Judicio à sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri in scriptis, & expressâ causâ appellationis; alioquin non valet; ut constat ex *cap. Cordi; 1. in princ. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. in Generali Concilio Lugdunensi, ad lites, & molestias litium minuendas statuit, ut, si quis in Judicio (id est, actu Judiciali, postquam citatus est. *Glos. hic V. In Judicio*) vel extra Judicium, ab interlocutoria sententia, vel gravamine aliquo extrajudiciali, ad Papam appellare velit, causam appellationis in scriptis designet (sive incontinenti appelletur, sive ex intervallo. *Glos. hic V. Interlocutoria*) & postea Apostolos petat (instanter, & infra triginta dies. *Glos. hic V. Petat. de quo infra*) qui & à Judice (à quo) ei exhiberi, & tradi debent, in quibus litteris etiam causâ appellandi exprimenda est, cur appellatio non sit admissa, aut forsitan appellationi solum ob Superioris reverentiam sit delatum.

Notandum primò. Tria requiruntur ad appellationem à sententia interlocutoria, vel à gravamine extrajudiciali. Primò. Ut fiat in scriptis, ita, ut offeratur libellus in scriptis. Secundò. Debent peti, & dari Apostoli, sive litteræ dimissoriales, per quas instruitur Iudex superior, quare appellationi sit delatum, vel non. Tertio. Ut exprimatur in specie causâ gravaminis. *Franc. hic n. 3. de quo mox plura.*

Notandum secundò. Hæc Constitutio locum habet in appellatione facta intra Judicium, ante sententiam definitivam, vel etiam extra Judicium, sed à Iudice. *Glos. hic V. Extra.* ubi tamen addit, secundum alios, idem servari debere, cum appellatur extra Judicium, etiam non à Iudice.

Notandum tertio. Hæc Constitutio loquitur de appellatione interposita ad Papam; quia, cum sit pœnalis, restringenda est. *Glos. hic V. Ad nos,* quamvis secundum quosdam, idem dicendum sit, etiam si appelletur ad alium Iudicem Ordinarium, qui per simplicem querelam adiri, & cognoscere potest, ita, ut textus iste intelligi debeat, maxime, si ad Papam appellatur. *Glos. loc. cit.*

CX. Præterea in *cit. cap. 1. §. Post hoc; eodem in 6.* statuitur, ut post terminum, secundum lo-

corum distantiam personarum, & negotii qualitatem, constitutum appellanti, intra quem appellatio non proficiat, si appellatus ita voluerit, & petierit, principales personæ per se ipsas, vel per procuratores instructos, cum mandato ad agendum, & monumentis, sive instrumentis, & actibus ad causam spectantibus, accedat ad Sedem Apostolicam, ita paratæ, & instructæ, ut, si Pontifici videbitur, post finitum, seu expeditum appellationis articulum, vel ex partium consensu omnifurum, in causâ principali cognoscenda, & definitiva procedatur, sicut de Jure fieri potest, ac debet: si tamen, quæ circa appellationes à definitivis sententijs antiquitus statuta sunt (scilicet, quod appellans in eis non teneatur appellationis causam exprimere, & aliis, de quibus infra. *Glos. hic V. Statuit*) non mutatis.

CXI. Pro explicatione huius §. Notandum primò. Iudex ad quem non potest, ab interloquio consensu appellati, sive eius, contra quem appellatum est, cognoscere de causâ principali, nisi per finitum Articulo appellationis interpolite ab interlocutoria; quia instantia causæ principalis est delata ab instantia appellationis; neque etiam potest, omisso appellationis Articulo, causam principalem cognoscere, & definire, sine consensu partium, ut est, appellati, & appellantis, juxta *cit. cap. 1. Post hoc; hoc sit. in 6.* ubi ponitur differentia inter Articulum appellationis finitum, & omnifurum, si voluerit appellatus, potest finitum appellationis Articulo, Iudex appellationis cognoscere, & definire causam principalem, etiam invito appellante: at omisso appellationis Articulo, non potest, nisi de consensu partium; ut haberetur in textu, postquam Judicium in causâ principali est ceptum, non ram alio: interveniente autem utriusque partis, appellati, & appellantis, consensu, potest procedi etiam in causâ principali à Iudice appellationis, quod hoc conducit ad lites exitum, & ex consensu partium potest Jurisdictio prorogari. *Franc. in cit. Post hoc; num. 2.* quamquam probabile sit, quod sufficiat consensus solius appellati, non autem solius appellantis, & sic numerus pluralis partium recte debet in singularem, id est, partis appellatæ, ut supplendum est, maxime. Ratio est; quia, quæ prius cognoscatur de Articulo appellationis, ut sit in favorem appellati: si ergo ipse non vult, ut articulo cognoscatur, neque appellans potest de hoc cogneri, cum ipse appellando voluerit, ut causa non ta devolveretur ad Iudicem appellationis; idcirco non potest opponere exceptionem lites pendente coram Iudice à quo, cuius Jurisdictionem declinavit, appellando: ergo videtur, quod cum consensu solius appellati, Iudex appellationis potest cognoscere de causâ principali, omisso appellationis Articulo, etiam invito appellante, dummodo tamen prius revocetur gravamen, propter quod fuit appellatum, cum tunc non habeat, de quo conquiretur appellans. *Joan. Andr. in cit. cap. 1. num. 6. V. Statutum; h. t. in 6. & consentit Franc. ibid. §. Post hoc; num. 9.*

Notandum secundò. Quod dictum est, Iudicem ad quem posse, omisso appellationis Articulo, causam appellationis cognoscere, ac definire, si partem

consentiant, id procedit in Papa, vel etiam aliis Judicibus appellationis, qui causam principalem per viam simplicis querelæ, seu in prima instantia cognoscere possunt: non autem habet locum in Archiepiscopo, qui à subditis Coëpiscopis non nisi per viam appellationis adiri potest, neque eius Iurisdictioni prorogari potest. *cap. 1. de foro compet. in 6. ubi Glof. V. Præmissio ait.* quod Archiepiscopus, omiſſa causâ appellationis, etiam ex partium consensu non possit de causa principali cognoscere, si ne voluntate Episcopi Suffraganei, à quo est appellatum; sed ad eundem causam principalem remittere debet, nisi prius de appellatione cognoverit, & pronunciarit, bene appellatum: alioquin enim perinde esset, ac si per simplicem querelam, siue in prima instantia de causa cognosceret, sine consensu Episcopi Ordinarii, quod facere non potest. *cap. 1. de offic. judic. ordin. Idem tradit Glof. in cap. 1. §. Post hoc. V. Omisso; hoc tit. in 6. & ibidem Franc. num. 7. ubi num. 8. addit, id procedere in causis Clericorum, non autem Laicorum; in his enim non solum Papa, & Legatus de latere, sed etiam Archiepiscopus, & quilibet Judex appellationis potest cognoscere de causa principali, cum voluntate partium; quia laici possunt consentire in alienum Judicem. *cap. 1. junct. Glof. V. Clericorum; de foro compet. in 6.**

CXII. Denique in *cit. cap. 1. §. Quod si appella-* tor; *h. t. in 6.* additur: Si appellans ea, quæ supra dicta sunt (videlicet, si causam appellationis non expressit in scriptis, & Apostolos non petijt, & instructus non venit, vel procuratorem non misit. *Gl. hic V. Quæ præmissa sunt*) non observet, perinde reputabitur, ac si non appellasset, & remitti debet ad Iudicem à quo, & insuper ad legitimas expensas. Ratio est; quia, si conditio aliqua de jure requiratur, tanquam forma actûs; tunc eâ non observata, non valet actus, & perinde censeri debet, ac si nihil actum fuisset; quia paria tunc censentur non fieri, & non legitime fieri. *Franc. ibid. num. 1.*

Si verò appellatus statutum hoc contempserit, non tantum in expensas tanquam contumax condemnari debet, sed etiam contra eum in causa principali, quantum de jure fieri potest, procedatur, (per illum, ad quem est appellatum. *Gl. hic V. Procedatur*) justum enim est, ut in eum jura insurgant, qui Ius, & Iudicem (qui appellationem recepit, & terminum assignavit) & partem adversam eludit, (quæ venit ad Papam instructa) prout deciditur in *hinc cit. cap. 1. & ibi Glof. V. Iudicem; & V. Parrem. h. t. in 6.* Ex quo patet, quod contumax tripliciter delinquat, videlicet inferendo injuriam Iuri, seu ipsi iustitiæ, Iudici, & parti adversæ. *Franc. hic num. 3. not. ult.*

CXIII. Ceterum quòd in appellatione ab interlocutoria, ante sententiam definitivam, debeat specialiter exprimi rationabilis causa appellandi, seu gravamen, coram ipso Iudice à quo, probatur etiam ex *cap. Ut indebitus; 59. h. t. ubi Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi c. 35. ita statuit: Ut Iudicibus honor debitus deferatur, & litigantibus consulari, eorumque labores, & expensæ minuantur, si quis coram idoneo Iudice adversarium convenerit, ille ante sententiam, absque rationabili causa al-*

lata, appellare non debet (coram Iudice à quo) sed coram eodem suam iustitiam prosequatur: non obstante, si dicat, se ad Iudicem Superiorem nuncium destinasse, aut impetrasse ab eodem litteras, si tamen illæ Iudici delegato nondum sint traditæ, seu præsentatæ. Si verò ab interlocutoria, siue à gravamine ante sententiam appellatum sit, proposita rationabili, seu probabili causâ coram Iudice à quo, tali videlicet, quæ, si probata fuerit, legitima reputari debeat: tunc Judex Superior ad quem de appellatione cognoscat, qui si appellantem non rationabiliter appellasse, cognoverit, ipsum ad Iudicem à quo remittet, & in expensis alteri parti condemnabit: alioquin ipse in causa principali procedet, eamque cognoscat, & definit; salvis tamen Constitutionibus, quæ sunt de causis maioribus ad Sedem Apostolicam deferendis.

CXIV. Pro explicatione huius cap. Notandum primò. Appellatio interposita à sententia interlocutoria, vel gravamine, ante sententiam definitivam, non valet, nisi specificè expressa fuerit causa rationabilis, quæ, si probata esset, legitima reputari deberet. *Abb. hic num. 1.* ubi addit, id procedere, etiamsi causa esset notoria; quia, licet notorium probari non debeat, allegari tamen debet.

Notandum secundò. Nihil prodest appellanti, absque rationabili causa, si dicat, siue excipiat, quòd nuncium miserit ad Iudicem superiorem; quia per nudam missionem nuncii non censetur provocasse verbo, vel factò, cum causa nondum sit mora, nec Iudici insinuata, unde licitum est appellato Jus suum persequi coram Iudice Ordinario, à quo appellatum, & ita prævenire adversarium. *Glof. in cit. cap. Ut debitus; V. Si dicat.*

Notandum tertio. Non prodest etiam appellanti, si dicat, se litteras iustitiæ impetrasse à Superiore, si eæ nondum sunt præsentatæ delegato; quia in scriptis ad lites attendendum est tempus præsentationis earum, ita, ut Ordinarius Iudex non impediat, aut præveniatur per litteras delegationis ab una parte impetratas, nisi sint præsentatæ; quia antè delegatus non censetur actu, & cum effectu accepisse Iurisdictionem. *Glof. hic V. Si dicat.* & quia Iurisdictioni ordinaria favorabilis est, extraordinaria, & delegata odiosa; ideo hæc facilius tollitur, quàm illa. *Glof. cit. & Glof. in cap. 1. V. Reversus; de rescript. in 6.* Accedit, quòd, licet litteræ secundæ subreptitiæ sint, si de eis non fiat mentio de prius datis. *cap. 3. de Rescript.* tamen litteræ posteriores prævalent prioribus non præsentatis, etsi de his illæ nullam mentionem faciant, quia litteræ posteriores non sunt irritæ ipso jure, sed per exceptionem oppositam rescindi possunt; ut ex alibi dictis constat: neque verò talis licentia excipiendi conceditur, si impetrans litteras suas non præsentavit, cum præsentare potuisset: secus est, si ob justum impedimentum eas non præsentavit. *Abb. hic n. 4.*

Notandum quarto. Quamvis per appellationem factam, sine probabili causa, non deferatur Iudici ad quem potestas cognoscendi causam principalem; deferretur tamen ei potestas iudicandi super quaestione incidente, ut pronunciet, appellationem non esse legitimam, & condemnet sic appellantem in expensas.

Abbas hic num. 6. & Alexand. num. 11. At verò si appellatio à sententia interlocutoria iustificata fuit à Iudice ad quem; quia nimirum conferitur facta ex iusta, & probabili causa: tunc hic Iudex succedit in locum Iudicis à quo, ita, ut causam principalem cognoscere, & definire possit, sicut potuisset prior Iudex, nisi fuisset appellatum. *Abbas hic num. 8. & Alexand. num. 9.*

Notandum quintò. In causis maioribus, quæ Sedi Apostolicæ specialiter sunt reservatæ, semper potest appellari ad Papam, etiam si nulla causa fuerit expressa: nam hæc una ratio sufficit, quòd sit causa ex maioribus; ideòque deferenda ad Sedem Apostolicam; cùm de his causis inferiores Iudices nullam habeant cognoscendi potestatem. *Abb. hic n. 9. & Alexand. n. 12.*

CXV. Assertio 2. Appellans ab interlocutoria, vel gravamine, ante sententiam definitivam, non potest alias causas, quàm nominatim expressas in ipsa appellatione prosequi; prout constat ex *Clement. appellanti; in princ. h. t.* & sumitur etiam ex *cap. Cùm causam; 62. h. t.* ubi in fine dicitur, quidquid post appellationem factum est, irritum, & inane declarandum esse, dummodo ea in appellatione ipsa expressa fuerint. Ex quo *Gl. ibid. V. Dummodo.* infert, quòd si appelletur à gravamine, ante sententiam definitivam; tunc appellans non potest coram Iudice appellationis aliam causam allegare, quàm quæ expressa fuit; quia non appellatur nisi à gravamine: sed propter hanc causam, quam vult de novo proponere coram Iudice appellationis, non gravabatur, nec propter illam appellavit, & Iudex ad quem debet tantum cognoscere de causa, propter quam appellatum fuit; adeòque quæ fuit specificè expressa. *Abb. ibid. n. 14.*

CXVI. Porro exemplum gravaminis exprimendi in appellatione ab interlocutoria, ante sententiam definitivam, habetur in *cit. cap. Cùm causam; h. t.* ubi talis casus proponitur. Inter Abbatem, & Conventum de Valle, ex una parte; & Priorem, ac Canonicos de loco novo, ex altera, lis erat super quadam Ecclesia, quam Pontifex certis Iudicibus delegavit, qui illam alijs subdelegarunt, sed non totaliter. Coram his subdelegatis procurator Canonicorum petiit inducias ad proponendum exceptiones dilatorias: interea verò Advocatus procuratoris in Iudicio confessus est, Priorem, & Canonicos quadraginta annis, & amplius, in pacifica possessione Ecclesiæ, de qua lis erat, fuisse, quam confessionem Advocati, procurator errorem hunc corrigens, eodem die revocavit; quia intentioni, seu petitioni suæ, cùm exceptiones dilatoriæ ante litem contestationem sint proponendæ, repugnabat (contraria enim sunt, litem contestari, & terminum ad dilatorias exceptiones proponendas petere. *Abb. hic n. 6.*) sed Iudices delegati existimantes, per confessionem illam Advocati litem contestatam fuisse, testes adversæ partis receperunt; quibus receptis, examinationem eorum quibusdam Iudicibus delegarunt, qui eandem alijs subdelegarunt, contra Canonicas sanctiones, & horum ipsorum receptiones, & examinationes, seu acta, cùm de Jure non valerent, ipsi Iudices delegati approbaverunt, & sic aliud novum gravamen adiecerunt, propter quæ gravamina procurator Canonicorum ad Sedem Apostolicam appel-

laviz prout habetur in integra lectione huius cap. Quare Papa Honorius III. his intellectis, mandavit quibusdam, ut, si dictus Prior, & Canonici legitime probaverint, quòd per procuratorem ipsorum erronea confessio Advocati eadem die fuerit revocata; ideòque lite non contestata, testes recepti fuerint: vel si constiterit, quòd Iudices delegati approbarent receptionem testium à subdelegatis suorum subdelegatorum factam (cùm tamen non nisi delegatus à Principe causam alteri subdelegare possit) quidquid ab ipsis post appellationem factum est, dummodo in appellatione ipsa expressum fuerit, irritum, & inane esse, pronunciant.

CXVII. Pro intellectu huius cap. Notandum primò. Per solam confessionem, etiam Advocati, inducitur litem contestatio, si eam Reus approbet, vel non revocet eodem die, aut procurator ipsius; intelligitur ex hoc cap. & tradit *Abb. hic n. 1. & in cap. unic. de lit. contest. n. 14.*

Notandum secundò. Confessio procuratoris facta in Iudicio nocet domino, seu principali, nisi errorum revocet, & probet. *cap. ult. de Confess. Confessio verò Advocati non obest parti, seu clienti nisi ipso ipse presente, vel eius procuratore, si frater alioquin verò statim eam revocare potest, nec tenetur probare errorem confessionis; quia Advocatus non habet potestatem procedendi in causa, sed solus patrocinandi. *Alexand. de Nevo hic n. 4. & 5.* Vnde etiam procurator partis potest revocare confessionem Advocati; ut patet ex hoc cap. quia ille non fit dominus litem, sicut procurator, qui litem contestando videtur quasi contrahere. *cap. 1. & 2. de procur. in l. Alexand. hic n. 6.**

Notandum tertio. Non potest Iudex delegatus approbare testes receptos à subdelegatis subdelegatorum; quia delegatus in inferiori Iudicis non potest causam, vel articulum causæ Jurisdictionalem subdelegare, licet nudum ministerium subdelegare possit. *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 18. & 19.* Si ergo Iudex delegatus aliquid huiusmodi faciat, licet appellatur; qui per ab eo gravatur; ut patet ex hoc cap.

CXVIII. Assertio 3. Appellans ab interlocutoria, vel à gravamine Iudicis, non tantum non potest prosequi alias causas, quàm in appellatione sua duntaxat expressas (ut supra etiam dictum) sed neque processus primi Iudicis (à cuius gravamine, vel interlocutoria fuit appellatum) potest instigare, nec impugnari ex actis novis, vel de novo producendis, sed tantum ex illis, quæ coram ipso acta, vel exhibitæ fuerunt; prout statuitur in *Clement. appellanti; s. h. t.* Ratio est; quia ab interlocutoria, vel à gravamine Iudicis, non appellatur, nisi Iudex iniuriam fecerit appellanti, sive eum iniuste gravaverit: ista autem iniuria non potest detegi, nisi ex actis actis, & antiquis causis coram Iudice à quo expressa, & deductis, non autem de novo deducendis; quia non potest imputari Iudici à quo, si appellans obtineat causam ex novis probationibus. *Marant. p. 6. de appell. in actu 2. de appell. n. 147. & 148.* Vbi tamen n. 147. & aliquot seqq. id limitat primò. Quòd appellans ab interlocutoria novas probationes producere potest super causa antiqua expressa in appellatione probationem requirente. Secundo. Nisi aliqua causa nova postea veniat in notitiam appellantis: nec

enim justificari potest interlocutoria ex ista nova causa; quia appellanti imputari non potest, quod illam non deduxit in appellatione; quippe quæ nondum suberat, vel in noticiam illius devenerat. Tertio, nisi appellans obtulerit causas gravaminis, & probationes coram Judice à quo, & non fuerit admittus: tunc enim potest eas deducere coram Judice appellationis; quia non per illum stetit, sed per Judicem priorem. Quarto, nisi interlocutoria sit lata contra contumacem. Quinto, nisi contineat gravamen irreparabile; ut, si Judex interloqueretur, aliquid esse torquendum: his enim casibus justificari potest ex novis actis, causis, & probationibus.

CXIX. Assertio quarta. Ad formam appellandi ab interlocutoria, vel gravamine, ante sententiam definitivam, etiam pertinere, quod appellans debeat docere, ac probare, non solum, quod opposuit exceptionem legitimam, & appellavit, sed etiam, quod legitima exceptio opposita non fuit admittita; ideoque appellavit; prout sumitur ex *c. Dilecto* 3, b. 1. Nam cum Presbyter D. obtinuerit Canonicatum in Ecclesia Salamantina à Papa, is super receptione illius misit litteras executorias ad Archidiaconum, & alios quosdam. Sed Capitulum Salamitanum, vel eius procurator, coram Executoribus exceptionem opposuit, quod cum in Ecclesia Salamitana certus sit numerus Canonicorum juramento firmatus, de quo in litteris ad executores directis nulla fiebat mentio; ideo vigore illarum, non possint ad executionem procedere, & ne executio fieret, Capitulum ad Sedem Apostolicam appellavit. Verum Judices, sive executores, huiusmodi appellatione contempta, in Episcopum, & Capitulares excommunicationis sententiam protulerunt; ideo Capitulum procuratorem Romam misit, per quem petebat, sententiam irritam declarari. Hoc intellecto, Honorius III. Auditorem dedit, coram quo ex depositionibus, & confessionibus partium constitit quidem, quod in Ecclesia Salamitana certus numerus Canonicorum sit institutus, & juramento coram Executoribus fuerit opposita, & ab eis appellatum: sed non satis constabat, appellationem propter exceptionem illam non fuisse admittam, vel propter aliam causam legitimam fuisse appellatum. Quare idem Papa mandavit quibusdam à se delegatis Judicibus; ut super hoc ipso cognoscant, & si repererint, exceptionem illam de certo Canonicorum numero, eoque jurato, aliamque legitimam causam fuisse propositam, nec admittam; & ideo Capitulum appellasse, ipsorum Executorum processum irritum, & inanem esse, pronuncient.

CXX. Hinc colligitur, quod habens exceptionem legitimam adversus Judicem, vel Executores mixti mandatum, ab eo non possit appellare, nisi prius exceptionem proponat, eaque non admittatur: tunc enim ex hac ipsa causa appellare potest, quod exceptio non fuerit admittita, sed rejecta. Ratio est; quia, qui appellat, antequam Judex suam oppositam exceptionem, expressè, vel tacitè procedendo ad ulteriora, rejicit, is non appellat à gravamine illato, sed futuro, quod ipsi postè inferri, si exceptio illa non admittetur; ergo antequam Judex gravavit,

justam exceptionem non admittendo, non potest appellari; quia appellaretur à gravamine non illato, sed futuro, quod in Judicio non est licitum. *Abb. in cit. c. Dilecto* 3, n. 11.

Porrò, si Judex, vel Executor aliquem excommunicavit disjunctivè, nempe, si intra 20. dies non paruerit mandato suo, vel intra eundem terminum, non allegaverit legitimam causam coram ipso, cur non pareat: hoc casu is, cui mandatum est, non potest appellare; quia potest evitare excommunicationem, opponendo exceptionem, sive causam justam allegando, cur non pareat, quæ, si non admittatur ab executore, tum demum poterit appellare. *Imola in cit. c. Dilecto*, n. 8. & *Alex. ibid.*, n. 6.

CXXI. Sed contra decisionem huius c. opponi potest, cum in casu illius per confessionem partis impetrantis Canonicatum constiterit, quod rescriptum beneficiale à Papa impetratum subreptitium fuerit; adeoque ipso jure nullum. *c. 2. de fil. Presb. in 6.* ob tacitam veritatem: si enim in eo expressum fuisset, quod in Ecclesia illa certus sit Canonicorum numerus juramento firmatus, non facillè Papa Canonicatum contulisset illi Presbytero; quia Capitulum gravare noluisse contra juramentum illorum: ex quo sequitur, quod Papa impetrantem statim repellere debuisset à sua petitione, & declarare, impetrationem Canonicatus irritam esse, & non mandare: ut de causa appellationis cognoscatur, an legitime sit interposita? Respond. quod hoc loco non fuit actum coram Judice appellationis, videlicet Pontifice, per viam nullitatis, dicendo, quod rescriptum fuerit subreptitium impetratum, suppressa veritate, quæ necessariò exprimi debuisset; ideoque illud executioni non esse mandandum: sed actum fuit per viam appellationis; ideoque probandum erat, quod appellatio legitime facta fuerit; quia appellans à sententia nulla, non obtinet in causa appellationis, probando nullitatem sententiae, sed probare debet, appellationem legitime esse interpositam: nihilominus tamen, etsi appellans in probatione succumbat & in causa appellationis, vel illam deserat; per viam nullitatis adhuc agere potest, eamque prosequi coram suo Judice. *to andr. in cit. c. Dilecto*; n. 5. & *ibid. Abb. n. 6.*

S. III.

De forma, seu modo appellandi à sententia definitiva.

CXXII. Assertio prima. Appellatio à sententia definitiva, si ea statim fiat, videlicet, Judice adhuc pro tribunali sedente, nec ad alia divertente, potest fieri vivâ voce: si verò per intervallum, etiam illa in scripto fieri debet, aliàs non valet appellatio. *l. 2. junct. Gl. ff. h. t. l. eos* 6. §. *Sin autem*; & *ibi Gl. V. Libellos*; & *l. Litigatoribus*; 14. *junct. à Gl. V. Illico. C. eodem. c. Post appellationem*; 31. *in fine junct. Gl. V. In scriptis*; & *caus. 2. q. 6. Durand. in spec. de appell. §. 6. in princ. Maran. de ord. jud. p. 6. de actu appell. n. 124. & 126.* In causis tamen brevioribus, aut levioris momenti, etiam ex intervallo, vivâ voce, appellari potest. *Maran. c. l. n. 131. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 9.*

CXXIII. Assertio secunda. In appellatione à sententia definitiva non est necesse causam appellandi in ea allegare in specie, sed sufficit, si appellans in genere dicat, se gravatum esse, vel sententiam injustam esse, sine alia causa expressa, vel, si dicat: Appello. l. 2. ff. h. t. & sumitur etiam ex c. 1. §. Post hoc 3. h. t. in 6. ubi dicitur: His, quæ in appellationibus à definitivis sententiis antiquitas statuit, non mutatis, quod exponit Gl. ibid. V. Statuit; scilicet quòd appellans ab eis appellationis causam non teneatur exprimere, sed sufficit dicere: Appello ab illa iniqua sententia; & Judex debet appellationi deferre, & potest statuere terminum appellanti ad proseguendam appellationem. *Maran. in actu 2. de appell. n. 141.* Ratio est; quia tunc frustra allegaretur causa in specie; cum Judex à quo, de illa cognoscere non debeat, quippe jam functus suo officio: sed, si appellatur à sententia interlocutoria, vel gravamine, ante sententiam definitivam; tunc is, à quo appellatur, adhuc potest de gravamine cognoscere, illudque revocare. c. *Cum cessante 60. h. t. & ideo decet; ut causa appellandi ipsi proponatur, & explicetur.* Limitatur, hanc assertionem non procedere in omnibus causis, in quibus de jure prohibitum est appellare à sententia definitiva: tunc enim debet exprimi causa gravaminis, aliàs non valet appellatio. *Maran. c. l. n. 43.* ubi rationem dat; quia, cum appellatio est prohibita; stat contra appellantem juris præsumptio; ideòque Judex non tenetur ei deferre: quæ præsumptio cessat, quando appellans allegat justam causam,

CXXIV. Assertio tertia. Qui appellat à sententia definitiva, tamen aliquam appellandi causam exprimat, tamen etiam alias causas non expressas coram Judice appellationis prosequi potest, imò etiam nova instrumenta, vel novos testes producere, & prius non allegata allegare, & non probata probare potest; dummodo dependentia sint, seu inservientia ad causæ decisionem. l. *Per hanc; 4. & ibi Bart. n. 3. C. De tempor. appellat. l. Eos; 6. §. Si quid autem. C. h. t. c. Cum Ioannes; 10. de fide instrum. Maran. c. l. n. 147. & 148.* ubi rationem reddit; quia à sententia definitiva potest appellari, etiam si justè lata fuerit, & Judex nullam injuriam intulerit parti; quia sperat appellans, se ex novis causis, & probationibus victoriam obtenturum in causa appellationis; adeòque novas probationes producere potest; quia aliàs ex eisdem vincere non posset. At verò ab interlocutoria non appellatur, nisi Judex injuriam parti intulerit, de qua injuria illata non potest constare, nisi ex actis, & causis antiquis coram Judice à quo expressis, & non ex novis; quia, quando appellans obtinet causam ex novis probationibus, & causis; tunc non potest ex illis deduci, vel constare, injuriam illatam esse à Judice à quo, nec illi imputari, cum antè acta illa nondum extiterint. *Mar. c. l.* Ceterum quæ de appellatione à sententia definitiva dicta sunt, locum etiam habent in appellatione ab interlocutoria vim definitivam habente; cum etiam per talem sententiam interlocutoriam officium Judicis cesset, quæ sicut fieri potest incontinenti vivà voce, & ex intervallo in scriptis, & sine expressione causæ gravaminum. *Marant. cit. loc. num. 130. & 145.* ita etiam ex novis actis, & probationibus justificari potest, sicut appellatio à definitiva. *Maran. c. l. n. 149.*

cui talis interlocutoria per omnia equiparatur, non solum quoad formam, & effectum interponenda appellationis, in qua etiam omnes solemnitates servandæ sunt, quæ servari debent in appellatione à sententia definitiva; sed etiam quoad alios juris effectus: peria enim sunt, sententiam esse definitivam, & habere vim definitivam. *Gail. lib. 1. obs. 130. n. 5.*

§. IV.

Quoties licitum sit appellare?

CXXV. Quæritur primò. Quoties licitum sit appellare à sententia definitiva? Respondetur, quævis possit in eadem causa semel, & iterum, adeòque bis appellari: si quis tamen bis appellare, non potest tertio appellare à sententia definitiva, si bis fuit confirmata; ut constat ex *Lovic. C. ne licentia una, eadèque causa tertio provocare: idemque statuitur in c. Sua nobis; 65. h. t.* Nam, cum inter R. tutorem filiorum B. defuncti, ex una parte, & F. pro se ipso, & P. tutorem Filii B. ex altera, super quâdam pecuniâ summâ controversia ageretur coram Judice Tuscanensi, is sententiam definitivam tulit pro tutore R. à qua sententia altera pars bis appellavit; sed utrâque vice prior sententia per Judices à Papa delegatos confirmata fuit: postea pars, quæ semel, & iterum appellaverat, sed condemnata fuit, tertio appellavit, & alios Judices delegatos petivit à Sede Apostolica. Tandem re delata ad Papam Honorium III. is Auditorem dedit, Cardinalium Diaconum, qui coram partibus interlocutus fuit, non potuisse, secundum jura, tertio vice appellari: cuius sententiam Papa approbavit, & mandavit iis, qui bis appellaverunt; ut negotium tertie appellationis ulterius non proseguant, nec procedere attemptent.

CXXVI. Idque statutum est, tum, ut introitus processus in infinitum, & ne lites fiant pene immortales; tum quia est præsumptio contra cum, qui bis appellavit, & semper succubuit, quòd iniquam causam foveat, & ad licem protrahendam malitè tertio appellet. *Abb. hic n. 3.* Hoc autem extenditur Primò, ut procedat etiam in sententiis, quæ non transeunt in rem judicatam: licet enim in illis de novo possit causa inchoari, non tamen potest tertio appellari. *Abb. c. l. Barb. in Collect. ibid. n. 1.* Secundo, ut nec Papa, vel alius Princeps supremus possit prostate ordinariâ, per viam Rescripti, concedere tertiam appellationem in eadem causa: quævis possit per viam privilegii, & ex certa scientia hoc Princeps concedere. *Alex. de Nevo hic n. 20. & Barb. c. l.*

CXXVII. Limitatur tamen, quòd non liceat tertio appellare ab eadem sententia, & in eadem causa, super eodem articulo, vel gravamine: licet super diversis articulis, vel gravaminibus: nam, si quis millies gravaretur, etiam in una eadèque causa, sed super diversis articulis, millies posset appellare. *c. Quoties: 16. caus. 2. q. 6.* ubi dicitur, quòd quocumque Episcopi putaverint, se gravari à suo Metropolitanis possint ad Romanam Sedem appellare. *Abb. in c. Sua n. 7. h. t. G. fm. in c. Directa; 39. h. t. & Gl. fm. cit. l. unic. in addit. C. An liceat, & c.* ubi ait, id procedere, maxime de Jure Canonico, secundum quod

ab omni gravamine quodcumque appellari potest. *Super eo*; 12. in princ. h. t. Præterea utraque pars litigantium successivè potest bis appellare, etiam in eadem causa, & super eodem articulo, & sic utrinque possunt interponi quatuor appellationes, v. g. Titius appellavit à sententia definitiva lata contra se, & succubuit: secundò appellavit, & obtinuit causam: potest Caius adversarius ipsius tertio appellare, & si sententia feratur contra ipsum, potest iterum, & sic quartò appellare; quia hoc casu quilibet ex litigantibus bis successivè appellavit, sed ulterius negari licet appellare; quia quisque jam habuit duas appellationes. *Abb. in cit. c. Sua*; n. 7. *Gl. fin. in cit. l. unic. in addit.* Idemque est, si quater appelletur interpolatim, ut, si Titius semel appellavit, & obtinuit sententiam pro se; Caius verò secundò appellat, & sententia fuit lata pro ipso: tum poterit Titius tertio appellare; & si sententia fuerit pro ipso lata, poterit Caius quartò appellare, sed neuter ulterius. Et hoc casu sententia executioni mandabitur in favorem eius, qui pro se habet tres sententias conformes; ut, si in exemplo allato, postquam Caius quartò appellavit, sententia feratur pro Titio. *Abb. c. l. n. 8.* Denique tertius potest appellare, si eius interfit, quodcumque, etiam si utraque pars litigantium jam bis appellaverit. *Barb. in cit. c. Sua*; n. 2. in fine h. t.

CXXVIII. Illud hic insuper notandum, quòd sententia, per quam Judex, vel Auditor utrique parti datus (ut in casu huius c.) pronunciet, non potuisse partem tertio appellare; adeoque appellationem fuisse irritam; non potest dici sententia definitiva; quia non est lata super meritis causæ, sed est interlocutoria, habens tamen vim definitivam; quia per illam ipsa causa appellationis finitur, & perimitur, aut precepta declaratur; ut notat *Abb. in cit. c. Sua*; n. 3. h. t. Idemque dicendum, si Judex pronunciet, appellationem esse desertam. *Alex. ibid. n. 5. in fine.*

CXXIX. Queritur secundò, An, qui semel à sententia interlocutoria, ante sententiam definitivam, appellavit, possit iterum appellare in eadem causa, & super eodem articulo? Respond. Si pars litigans, post desertam appellationem, non sit contumax, sed sistat se Judici à quo, hoc casu, si Judex iterum per interlocutoriam sententiam gravare videatur, pronunciando v. g. testes esse admittendos, vel non; dilationem concedendam, vel non; non obstante primà desertione, iterum appellari potest, præsertim, si causa sit favorabilis, v. g. matrimonialis; prout decernitur in *c. Directa* 339. h. t. Nam, cum coram Ordinario loci causa matrimonialis tractaretur, vir opponebat, vinculum consanguinitatis inter ipsum, & mulierem intercedere: sed quia in hoc processu mulier à Judice gravata videbatur, ipsa appellavit ad Sedem Apostolicam: post ea verò intra terminum ipsi præfixum, appellationem non est prosecuta: ideo Judex ordinarius rursus in causa processit, & testes super consanguinitate à viro productos recepit: tunc verò mulier iterum ad S. Pontificem appellavit. Quæsitum igitur fuit, num huic appellationi sit deferendum, necne? Respondit Papa Clemens III. licet secundum decretum Concilii Lateranensis (in *c. Reprehensibilis*; 26. §. Si verò; & *c. Saepè*; 44. h. t.) si appellans, intra terminum ipsi assignatum, ap-

pellationem suam non sit prosecutus, Judex à quo liberè procedere possit in causa, eò quòd appellatio deserta videatur; quia tamen jure concessum est, ut in eadem causa bis appelletur; ideo mulier per secundam appellationem à jurisdictione Ordinarii se exemisse censetur, præsertim, cum viri intentio ad separationem matrimonii tendat, cuius causa est favorabilis. Ex quo patet, quòd, si is, qui semel appellavit, postea intra terminum ipsi præfixum, appellationem non prosecutur, sed redeat ad Judicem à quo, & ab eo postea iterum gravetur, possit, non obstante desertione primæ appellationis, iterum in eadem causa appellare. Ratio est; quia voluntariè redeundo ad Judicem à quo, purgavit contumaciam, si qua fortè in ipso fuit. *Clem. unica de dolo.* Ideoque non potest ob contumaciam repelli ab altera, & iterata appellatione, si de novo gravetur. *Abb. hic n. 2. not. 1.* Et quamvis Judex à quo, si appellans, intra terminum ipsi præfixum, non fuerit appellationem prosecutus, recipiat, & reassumere possit jurisdictionem, quæ per appellationem in eo erat suspensa, & procedere in causa; eò quòd appellatio prior deserta, eique renunciatum videatur; quia tamen jura permittunt, ut in eadem causa à qualibet parte bis appellari possit; ideo, si is, qui prius appellavit, postea rursus gravetur, iterum potest etiam super eodem articulo appellare, præsertim, si causa sit favorabilis; ut deciditur in hoc c. Nec obstat, quòd, si appellans postea compareat coram Judice à quo, censetur ipso facto renunciare appellationi interpositæ, non autem appellationi interponendæ, id est, juri appellandi ob gravamen postea illatum. *Gabriel in communib. lib. 2. tit. de appell. concl. 2. n. 5. & 6. Barb. in Collect. in cit. c. Directa*; n. 2. h. t. Plura de aliis huc pertinentibus dicta sunt supra hoc lib. tit. 14. n. 55. & tribus seqq.

CXXX. Notandum hic præterea primò, Sicut à sententia definitiva bis cuique appellare licet, non autem tertio, in eadem causa, & super eodem articulo, *cit. l. unic. C. Ne liceat in una &c.* quia præsumptio injustitiæ est contra eum, adversus quem bis in eadem causa judicatum fuit: sic proportionatè loquendo, licet is, qui semel à sententia interlocutoria appellavit, postea tamen appellationem deseruit, & priori Judici denuo se stitit, iterum appellare possit, si Judex iterum gravet, revocando eandem interlocutoriam: non tamen potest tertià vice appellare: nam & interlocutoria sequitur, quoad hoc, naturam sententiæ definitivæ. *Gl. in cit. c. Directa. V. Appellare*; & *Abb. ibid. n. 8.*

Notandum secundò, Quamvis sententia interlocutoria; quia non transit in rem judicatam, à Judice semper revocari, aut mutari possit. *l. Quod jussit*; 15. ff. *De re judic.* ubi in rubrica Bartoli dicitur, quòd Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, non definitivam: si tamen sententia interlocutoria confirmata, seu bis promulgata fuit, tunc revocari, seu retractari amplius non potest; quia censetur, transiisse in rem judicatam, quamvis aliàs semel pronunciata revocari possit; ut tradit *Gl. in Clem. ult. V. Super ea*; h. t. & *ibid. Barb. in Collect. n. 4.*

CXXXI. Ex dictis infertur, si is, qui appellavit à repulsione exceptionis peremptoriæ,

(v. g.

» (v. g. pacti de non petendo, præscriptionis &c.)
 » succubuit, & postea secundò appellans denuo suc-
 » cumbat; non potest in causâ appellationis à defi-
 » nitiva postmodum interpositâ, super eâ perempto-
 » riâ sic tertio repulsâ ulterius audiri; nisi tunc rite
 » proposita, ideo priùs (in causâ principali) repul-
 » sâ fuisset; quia ineptè proponebatur; prout deci-
 » ditur in *Clement. eam à repulsione*; 7. & *ult. h. t.* ut, si
 v. g. priùs proposita fuit peremptoria exceptio præ-
 scriptionis, sed non expressus titulus, potest is postea
 proponi. *Gl. hic V. Ineptè*; ubi plura exempla affert.
 Ratio decisionis huius c. est; quia in una, eadè que
 causa, super uno articulo, tertio appellare non licet.
c. Directa; 39. *h. t. & l. unic. C. Ne liceat in una &c.*
 qui autem bis super repulsione peremptoria excep-
 tionis appellavit, & succubuit, si super eadem in
 appellatione à definitiva iterum audiretur, jam tertio
 vice appellaret super eodem articulo, quod non est
 concessum. *Gl. hic V. Succumbit.*

Hinc patet, quòd sententia lata super exceptio-
 ne peremptoria sit interlocutoria, non definitiva,
 quamvis in effectu vim habeat definitiva. *Gl. hic V.*
Repulsione; & *Abb. ibid. n. 2.* Quòd si Judex ex-
 ceptionem peremptoriam non recipiat, vel ad ulte-
 riora procedat, videtur illam repellere; ideoque ap-
 pellari potest. *Abb. ibid. n. 1.* Porro, quamvis in ca-
 su huius c. talis non audiat tertio, per viam appel-
 lationis; auditur tamen per viam nullitatis, si dicat;
 sententiam esse nullam. *Clem. 1. de sent. & re judic.*
 vel etiam, si petatur restitutio in integrum, vel sup-
 plicetur contra res bis iudicatas, juxta *l. Minor*; 18.
 §. 2. ff. *De minorib. Durand. in spec. tit. de appellat. §.*
Quoties appellandum sit; n. 4.

S E C T I O VI.

DE TEMPORIBUS, SEU FA- TALIBUS APPELLATIONUM.

§. I.

De tempore interponenda appella- tionis.

Præmittendum in primis, quòd quatuor potissi-
 mùm numerantur Fatalia, hoc est, tempora, quibus
 elapsis, facultas, quæ appellandi causâ concessa est,
 intercidit, & extinguitur. Primum est tempus inter-
 ponendæ appellationis: secundum tempus, seu Fa-
 tale petendi, & concedendi Apostolos: tertium præ-
 sentandi, seu offerendi prædictos Apostolos Judici
 ad quem: quartum tempus, seu Fatiale ad prosequen-
 dam, ac finiendam appellationem. *Gregor. Tholoson.*
partit. Iur. Canon. l. 5. tit. 15. c. 4. in Scholiis lit. c. Et
alii passim; de primo tempore agemus in hoc §. De
 aliis in seqq.

CXXXII. Queritur primò. Quando, &
 intra quod tempus interponi debeat appellatio?

Respond. Jure antiquo, appellandum fuit in
 causâ propria intra biduum; in causâ aliena, seu pro-
 curatorio nomine intra triduum à prolatione senten-
 tiæ numerandum. *l. 1. §. Biduum*; ff. *Quando appell.*

lit. l. Eos; 6. §. *Sin autem. C. h. t. c. Biduum*; 29. *in*
princ. causi; 2. q. 6. nisi nec Judex, à quo appellandus
 esset, neque Judex, ad quem appellari deberet, in-
 piam sui faceret; nam interea tempus non currit,
 nec sententia transit in rem judicatam. *l. 1. §. Dicitur*
ff. Quando appell. Jure verò novo appellari debet in-
 tra decendium, id est, X. dies à die gravaminis illius,
 vel latæ sententiæ, & scientiæ numerandum. *Auth.*
hodie junct. Gl. V. à scientiæ. C. h. t. Auth. de appell. §. 1.
collat. 4. nov. 23. idque obtinet, si per se, si per
 alium, ut procuratorem, tutorem &c. si ve à sen-
 tentia definitiva, si ve ab interlocutoria; si ve à Judi-
 ciali, si ve ab extrajudiciali gravamine appellatus. *l. 1.*
nov. 23. §. 1. Durand. in specul. tit. de appell. §. Quando
& intra quod tempus. Greg. Tholos. c. l. Gall. l. 1. ad §. 13.
 n. 2. Et hoc etiam approbatum est Jure Canonico.
c. Anteriorum; 28. *in fine causi*; 2. q. 6. c. *Quod ad res*
suscitationem; 15. *de sent. & re judic.* ubi dicitur:
 cum post decem dierum spatium, sententia in au-
 thoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocac-
 tionis subsidium infra id temporis non recurrit,
 appellandi sibi aditum denegavit. Item in c. *Si*
gnificaverunt; 36. & *ibi Gl. V. Intra 10. dies*; supra
restit. ubi id statutum habetur de appellatione ab in-
 terlocutoria: sicut & in c. *Cum dilectus*; 32. *in fine*
elect. & ibi Gl. V. Infra decendium.

CXXXIII. Similiter in c. *Concertationi*; 1.
h. t. in 6. statuitur: ut, si quis, gravatum se pu-
 taans, appellare velit, ab electione, postulatione,
 provisione jam factâ, aut decretâ, vel quolibet alio
 actu extrajudiciali, aut gravamine extra Judicium
 illato (si ve fiat à Judice, si ve à privato. *Gl. hic V.*
Extrajudicialibus) & gravamen illatum revocari de-
 siderat, is potest, ac debet intra X. dies, postquam
 scivit, gravamen esse illatum, appellare: post cha-
 plos verò decem dies, et si appellare non possit, non
 prohibetur tamen per contradictionem debitam
 (ut, si coram superiore excipiat, vel petat, ut actus
 cassetur. *Gl. hic V. Debitam*) vel per alia juris reme-
 dia petere revocari gravamen illatum, dummodo
 interim, seu medio illo tempore, electioni v. g.
 vel alteri actui extrajudiciali non consenserit, scilicet
 enter, & sponte. *Gl. hic V. Non consenserit.* Ratio
 prioris partis huius c. est; quia tempus X. dierum
 (sicut olim bidui, vel tridui) præscriptum est univo-
 cè ad appellandum intra illud, à quoconque
 appellatur. *l. 1. §. Quod in sententiis*; ff. *Quando appel-*
lit; & *ibi Barr. & cit. Auth. §. De appell. collat. 4.*
 si in appellatione extrajudiciali liceret appellare in-
 decimâ die, eadè ratione liceret & centesimâ, quod
 esset absurdum. *Gl. in cit. c. Concertationi. V. Gravamen.*
h. t. in 6. Ratio posterioris partis est; quia, si quis
 plura juris remedia habeat, & ab uno eorum sit ex-
 clusus, vel prohibitus, non ideo prohibetur uti alio-
 ro, à quo non est prohibitus, v. g. si quis appellare
 intermisit intra debitum tempus, vel appellationem
 deferuit; quia in ea succubuit, non prohibetur ap-
 petere per viam nullitatis. *l. Si expressim*; 19. ff. *h. t. de*
in cit. c. Concertationi. V. Debitam in addit. Franc. l. 1.
num. 5.

CXXXIV. Ubi præterea Notandum primò
 Quod dictum est, appellationem extrajudicalem in-
 terponendam esse intra X. dies, post habitam no-
 ticiam gravaminis, id solum procedit in appellatione
 à gra-

à gravamine jam illato: non item à gravamine futuro, quod probabiliter timetur inferendum: nam contra tale gravamen etiam post decem dies, imò semper appellari potest, quam diu probabiliter timetur inferendum; ut notat *Gl. in cit. c. Concertationi; V. Gravatum*, ut, si v. g. appelletur, ne Titius, quippe excommunicatus, suspensus, vel criminofus eligatur, vel ne electus confirmetur: nam hoc casu si Capitulares, non obstante appellatione, nihilominus procedant ad electionem; tunc, an valida sit electio, necne, pendet ex futuro eventu: si enim legitima causa appellandi probata fuerit, irrita declarabitur electio postea secuta; aliàs confirmabitur, si nimirum, causam appellandi non legitimam fuisse, iudicabitur. *cap. Constitutis; 46. h. i. Gl. h. c. V. Gravatum.*

Notandum secundò. Non tantum appellationes extrajudiciales fieri debent, sed etiam supplicationes offerendæ sunt intra decem dies Principi. *Auth. Quæ supplicatio. C. de precib. Imper. offer. Gl. in cap. Significaverunt; 36. V. Intra decem dies de testibus.*

Secundò. Idem obtinet etiam in causis feudaliibus: nam Jus commune sequi oportet, si de Jure feudali contrarium non reperitur decisum, per textum in *cap. 1. §. Strenuus de feudi cognitione lib. 2. feud. Gail cit. obs. 139. num. 3.* Tertiò. Sed etiam aliquis tertius appellationi per alium interposita pro suo interesse adherere velit, vel appellationem ab alio, suo nomine, absque legitimo mandato, interpositam ratam habere, intra decem dies id facere debet. *Glof. in cap. Ut circa; 4. V. Adherentes de elect. in Sexto. cap. Non solent; 30. junctâ Glof. V. Mox causi. 2. q. 6. Gail lib. 1. obs. 122. n. 5.* Licet aliàs intra decem diem teneatur appellare tertius interveniens; quia per appellationem principalis jam est suspensa sententia. *Gail c. l.*

CXXXV. Queritur secundò. Quando currere incipiat hoc tempus decem diem ad appellandum concessum? Resp. Incipit currere statim à momento late sententiæ in momentum, si adversus præsentem pronunciatur sit; ut notat *Gl. in Clement. Sicur; 3. V. à die h. t. Marant. p. 2. acti 2. num. 203. Gail cit. obs. 139. num. 5.* ita, ut etiam solemnes feriæ includantur, eæque non subtrahantur. *l. 1. C. de Feriis, l. Sive; 3. §. Feriæ. C. de dilatione.* Quamobrem *Gail cit. loc.* monet Notarios, ut in instrumento appellationis, non tantum diem, sed etiam horam interpositæ appellationis exactè notent, ad hoc, ut rite cognoscatur, an, & quando decem diem sit elapsum: nam prima dies appellationis non computatur tota, sed ab hora illius diei, quæ ad decimum diem eiusdem horæ referri debet; ideòque evenire potest, ut decima dies in undecimam desinat: v. g. si sententia lata sit die Veneris, horâ nonâ matutinâ, poterit quis appellare sequenti die undecimâ, usque ad horam nonam. *Durand. in spec. tit. de appell. §. Quando, & intra quod temp. appell. n. 3.*

CXXXVI. Ubi Notandum primò. Hoc tempus decem diem ad interponendam appellationem concessum est in principio utile, sed in progressu continuum: vnde non incipit currere, nisi à tempore scientiæ, postquam scilicet pars litigans scit, sententiam esse latam, & contra se, sive in suum præiudicium latam esse, sicut & biduum, & triduum, cui successit. *l. 1. §. fin. ff. Quand. appellan. sit. cap. Biduum; 29.*

Tomus 11.

§. Si adversus absentem causi. 2. q. 6. non enim currit impedito, vel ignoranti, nisi verè contumax sit. *Durand. cit. loc. n. 1. Marant. c. l. n. 204. Gail c. l. n. 7.* vnde tamen quis, per mensem, vel annum, & ultra ignorasset, semper adhuc appellare potest, postquam scire incepit. Idque obtinet etiam in herede appellantis, cui etiam non currit tempus concessum ad interponendam appellationem, vel prosequendam, nisi à die scientiæ; sive defunctus appellaverit, sive ante appellationem mortuus sit. *Arg. l. fin. C. Si pend. appell. nova & c. Gail c. l. n. 7.*

Præterea, si à gravamine extrajudiciali appelletur, tempus decem diem numerandum non est à puncto temporis, quo quis scivit, gravamen illatum esse, v. g. collationem beneficii, quod sibi erat debitum, Titio esse factam, sed à tempore, quo quis scivit in sui præiudicium, seu cum suo gravamine esse factam. *cit. cap. Concertationi; & ibi Glof. In notatis. & V. Sciverit h. r. in Sexto. v. g. si quis scivit, ante decem dies Titio collatum esse beneficium, sed eo tempore nescivit, jam prius à Papa sibi eiusdem beneficii collationem esse factam, idque post decem dies primum cognovit, adhuc intra decem dies à tempore scientiæ appellare potest; quia ex eo tempore primum scit, se gravatum fuisse.*

Notandum secundò. à gravamine extrajudiciali habente tractum successivum, & causam continuam semper appellari potest, etiam post decem dies, quam diu gravamen durat: ut, si quis per integrum mensem in carcere detineatur, toto hoc tempore, tanquam à præsentem, & adhuc durante gravamine appellare potest. *Marant. c. l. n. 205, Gail cit. obs. 139. num. 13.* ubi aliud exemplum ponit: si quis citeatur ad locum non tutum, toties appellare potest, quoties citatur; quia semper de novo gravatur. Hoc autem non procedit, si Judex interloquendo pronunciaverit, locum tutum esse, vel Titium iuste fuisse incarceratum: hoc enim casu intra decem dies à die interlocutionis factæ appellandum est: alioquin sententia transfret in rem iudicatam, & ulterius appellare non liceret; quia sententia contra jus partis lata, si ab ea appelletur, transfret in rem iudicatam. *l. Cum prolatione; 31. ff. de iudic. Gail c. l. n. 14.* Porrò, hoc tempus decem diem neque per Judicem, neque per consensum partium, neque per compromissum prorogari potest, sive augeri, aut minui; ut tradit *Gl. communiter recepta in cit. tit. V. Recusatus tempus. h. r. Marant. cit. loc. num. 230. Gail cit. loc. num. 6.*

CXXXVII. Ex dictis inferitur primò. Si causa intra certum tempus decidenda Judici committatur, tunc tempus incipit currere, & numerari debet à die præsentationis, seu receptionis, Rescripti, delegationis; prout statuitur in *c. Super eo; 12. §. Si autem; h. r.* Ratio est; quia, licet in Rescripto quoad ea, quæ in illo continentur, & quoad habilitatem, vel inhabilitatem impetrantis, considerari debeat tempus datæ, seu impetrationis. *c. Si eo; 9. de Rescript. in Sexto.* tamen quod attinet ad personam Judicis delegati, vel executoris, & quoad tempus ei concessum ad causam definiendam, non tempus dati Rescripti, sed quo illud est acceptatum, & non antè, Jurisdictio, seu potestas ipsi collata, & acquisita censetur, nec prius illam exercere potest; ut tradit *Ioan. Andr. in cit. §. Si autem; n. 3. & ibid. Abb. n. 7.*

H h h h

CXXXVIII. In-

CXXXVIII. Infertur secundò. Non tantùm tempus decendij ad appellandum concessi, sed etiam quodvis aliud tempus ad aliquid agendum definitum, currit de momento in momentum: tunc enim ab hora illius diei, quo v.g. litteræ sunt præsentatæ, reliquum tempus eiusdem diei numerari debet, nisi aliud Iure sit expressum. *Ioan. Andr. in cit. cap. Super eo; num. 10. h. t.* Vel nisi alia sit mens tempus dehiuentis, illa enim est attendenda: vel nisi apponatur præpositio à, v.g. ut causa expediatur intra triginta dies à die præsentationis litterarum numerandos: tunc enim non est computanda ea dies, in qua litteræ præsentantur, & recipiuntur. *Glof. in cit. §. Cum autem; V. Recepisse; hoc. tit.* quia præpositio à est exclusiva, juxta *Glof. in cap. Statutum; 3. V. Numerandum de præb. in Sexto.* ubi ait, quòd dies vacationis non computatur in mense, quando dicitur à die vacationis, & ibi *Glof. marg. lit. C.* Porò vocula *Usque* v.g. usque ad Calendas Maij, in gratiis, & aliis favorabilibus dispositionibus accipienda est inclusivè, ut etiam comprehendantur, nisi aliud ex mente præferentis, vel ex circumstantiis adiunctis colligatur: at verò in materia pœnali, vel alià ratione odiosa, accipienda est exclusivè, ut ex Baldo docet Berachinus in repertorio Juris Canonici. *V. Usque. v. g.* maneat in carcere usque ad Calendas Maij: tunc enim ad initium Calendarum liber esse debet, quamvis *Glof. in Auth. de temp. non solut. pecun. §. Generaliter. V. Usque ad diem Collar. 8.* dicat, quòd particula *Usque* non sit exclusiva: ut si v.g. dicatur: Maneat in carcere usque ad decem dies: videtur etiam dies decima comprehendi.

§. II.

De Apostolis, & tempore illos petendi, & præsentandi.

CXXXIX. Pro intellectu terminorum Notandum primò. Apostoli hoc loco dicuntur litteræ dimissoriae, quas Iudex, à quo appellatum est, dirigit, seu transmittit ad Iudicem, ad quem appellatum est, in quibus testatur, Titium v.g. à sententia sua, sive à se latà appellasse. *l. 1. ff. de libellis dimissoriis.* Ex dicuntur vulgò Apostoli, id est, quasi missi; quia mittuntur ad Iudicem ad quem, ut de causa appellationis instruat: dimissoriae autem litteræ dicuntur; quia per eas causa ad Iudicem, ad quem appellatum est, dimittitur. *l. Dimissoria; 106. ff. de V. S.* Formula autem, quâ concipiuntur huiusmodi litteræ, traditur à *Glossa* ibid. & est ista: *Notum sit vobis, quòd talis à sententia mea, quâ condemnatus erat, appellavit, unde ad vos eum remitto: consentit Glof. in l. Præses; 5. V. Apostolos. C. h. t.*

Notandum secundò. Plura sunt, & varia Apostolorum genera, seu species; ut notat *Gl. in c. 1. h. t. in Sexto. in casu. Abb. in c. Bonæ; 5. n. 9. h. t. Mar. p. 6. in actu 2. n. 2. 14.* Nam alij dicuntur Apostoli dimissorij, qui sunt litteræ ad Iudicem appellatum directæ, in quo Iudex à quo appellationi deferens ei significat, illam interpositam, & à se admissam esse, de quibus fit mentio in *l. 1. ff. de libell. dimissor. & in c. Ab eo; 6. h. t. in Sexto. & c. Ab eo; 24. caus. 2. q. 6.* Alij dicuntur Apostoli reverentiales,

quando Iudex à quo defert appellationi, eamque mittit, non ob causam iustitiæ, sed solum ob reverentiam Iudicis Superioris, ad quem appellatur, in quibus fit mentio in *cap. 1. ibi: Vel si appellationis factæ ex reverentia Superioris sit delatum. h. t. in Sexto.* Alij dicuntur Apostoli refutatorij, quos dat Iudex non de se non admisisse appellationem, de quibus loquitur textus in *l. fin. §. In refutatoris. C. h. t.* Et in hoc Iudex exprimere debet causam, cur eam non admitterit. *l. pen. ff. de appell. recipiend. alia, si sine causa rejiciat, punitur. l. Quoniam; 21. C. h. t.* Alij dicuntur Apostoli Conventionales, quos dat pariter adveniens Iudex, Iudice refutante, vel tacente, sive extra Iudicium de quibus in *cap. Sepe; 44. h. t.* Alij dicuntur Apostoli testimoniales, ut, quando in absentia Iudicis, appellatur coram Notario, vel alio honesto viris, qui in iis testantur, appellationem eorum se esse interpositam. *Vestrius in praxi lib. 7. cap. 3.* quamvis aliqui non distinguant hos ab Apostolis Conventionalibus, qui dantur extra Iudicium à Iudice à quo, vel à parte. *Abb. in cit. cap. Bonæ; 9. hoc. tit.*

CXL. Queritur primò. An Iudex à quo veniat Apostolos appellanti eos petenti exhibere, & tradere? Respondetur affirmativè, adeò quidem, ut si Iudex requisitus non tradat Apostolos, sed in causa procedat, non valeat processus, & retractatur per Iudicem appellationis; prout consuetudo est *Ut super; 4. hoc. tit. in Sexto.* Ubi Innocentius III. præcipit, ut Iudex, à quo appellatum, Apostolos appellanti petenti tribuat (secundum præteritum eisdem Innocentij Constitutionem, quæ referretur in *cap. 1. h. t. in Sexto.*) idque, ut facilius instructio causæ appellationis valeat haberi (nam in Apostolis debet exprimi causa, quare appellatum. *Glof. in causa. & cur Iudex non detulit appellationi. Glof. hic in notatis.*) Quòd si Iudex Apostolos (participanti instanter eos petenti, ut dicitur in *notis*) non exhibuerit, processus postea institutus irritus est, præterquam, si appellationi renunciatum sit. Ratio est; quia, si Iudex iniuste denegavit Apostolos, partem gravavit, & sic præsumitur malo animo procedere, & appellationem interpositam esse legitimam; ideòque processus subsequens est ipso iure nullus: nisi tamen appellationi sit renunciatum, expressè, vel tacitè. *Glof. hic V. Renunciatum, quia Apostoli traduntur in favorem appellantis: quilibet eorum tem favori pro se introducto renunciare potest. l. 1. quis; 29. C. de pact.* ideòque processus factus à Iudice à quo, post renunciationem appellationis, est validus; quia per appellationem illius Iurisdictionis non est extincta, sed suspensa, licet ipse Iudex, negando Apostolos, prius in culpa fuerit. *Franc. hoc. tit. in 2. Vvian. in Ration. hic.*

Porò, quamvis Apostoli sint danti à Iudice appellanti, etiam si eos non petat. *l. Eos; 6. §. fin. C. de non tamen habet locum prædicta pœna, quòd nimirum processus Iudicis postea institutus sit ipso iure invalidus, etiam non expectato exitu appellationis: hoc enim requiritur, ut Apostoli instanter, & loco tempore debito fuerint petiti. *Gl. in cit. cap. Ab eo; V. Instanter; in sine h. t. in 6. ut mox dicitur.**

CXLI. Q.

CXLI. Queritur secundò. Intra quod tempus petendi, & dandi sint Apostoli? Resp. Primò. Olim peti, ac recipi debebant intra 5. dies. *cap. Ab eo; 24. causi. 2. q. 6.* At verò hodie ab eo, qui appellat, intra dies xxx. Apostoli peti debent. *l. Præfens; 5. junct. Gl. V. Præscriptum est. l. Judicibus; 24. C. h. t. & constat etiam ex c. Ab eo; 6. h. t. in Sexto. ubi deciditur: Ab eo, qui appellat, intra 30. dies Apostoli instanter peti debent; & eidem intra idem tempus à Judice exhiberi: alioquin præsumitur appellationi renunciare appellans: tamen si ear, vel procuratorem mittat ad appellationem prosequendam. Quod verò Innocentius IV. (in c. Ut super; 4. h. t. in 6.) decrevit, si Judex à quo Apostolos postulanti non tribuat requisitus: & tunc, si in causa procedat, eius processus sit invalidus, nisi appellationi renunciatum sit: id intelligi debet; si Judex, cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitus Apostolos expressè denegavit: vel per malitiam, aut negligentiam, intra prædictum tempus xxx. dierum, appellanti trade- re intermisit.*

CXLII. Notandum primò. Apostolos debet petere ipse appellans, non autem appellatus; quamvis non sit necessarium, ut petantur tempore appellationis; sed satis est, illos petere quocumque intra xxx. dies: neque etiam necessarium est, ut petantur in scriptis; quamvis peti possint in scriptis, ut postea facilius probari possint: ipsa tamen datio Apostolorum à Judice necessariò fieri debet in scriptis. *Franc. hic n. 1.*

Notandum secundò. Tempus xxx. dierum ad petendos, & tradendos Apostolos, est commune tam ipsi appellanti, quam etiam Judici; sicut enim appellans petere, sic Judex intra illud Apostolos exhibere tenetur, & interim deliberare potest, an debeat admittere appellationem, vel rejicere. *Franc. hic n. 2. Barb. in Colle. ibid. n. 2.* Postulat tamen Apostoli dati appellanti etiam absenti, dummodo id intimetur ipsi appellanti. *Franc. cit. loc.*

Notandum tertio. Si appellans, debito modo, ac tempore, Apostolos non petijt, appellationi suæ renunciâsse præsumitur, estque hæc præsumptio Juris, & de Jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, posito, quòd neglexit petere: secus est, si non potuit. *Ioan. Andr. hic num. 3. V. Præsumitur.*

Potriò, quamvis iter arreptum aliàs habeatur pro appellatione. *cap. Dilecti; 52. h. t.* quando tamen appellatum est verbo, non habetur pro petitione Apostolorum. *Glof. hic V. Vadar.*

Notandum quartò. Appellans debet petere Apostolos, sive appelletur ab interlocutoria, vel gravamine illato ante sententiam definitivam, sive à definitiva; quia textus in c. Ut super; 9. h. t. in 6. loquitur generaliter, & indistinctè, quòd appellans debeat petere Apostolos. *Franc. in cit. cap. Ab eo; not. 1. h. t. in 6.* Similiter, quando appellatur à Judice extrajudicialiter procedente, semper peti debent Apostoli; quia est, qui illos dare possit, nempe Judex à quo: sed quando appellatur à parte litigante, tum non est necesse, eos petere; quia non est, qui eos det: quamvis tutius sit etiam tunc illos petere sub hac conditione, si sit, qui ipsos dare possit, ac debeat. *Glof. in cap. Ut super; 4. V. Ille; h. t. in Sexto. Marant. c. l. n. 216.*

Quòd si queratur, cuius expensis dandi sint Apostoli, num appellantis, an verò Judicis? com-

munis responsio est, & in praxi ita communiter observatur, ut tradantur expensis appellantis; ut refert *Glof. in Clement. 2. V. Oblatus; hoc tit. Marant. cit. loc. num. 213.*

CXLIII. Resp. Secundò. Etsi nonnulli velint, quòd tempus 30. dierum incipiat currere à die sententiæ latæ, alij verò à die appellationis interpositæ: verius tamen est, quòd, si appellans habuit notitiam sententiæ latæ, statim currat tempus illud à die sententiæ latæ, juxta *l. Judicibus; 24. C. h. t.* quæ sic debet intelligi, ut concordet cum aliis juribus. Si verò non habuit notitiam latæ sententiæ, tunc tempus hoc triginta dierum numerandum est à die scientiæ, quo quis sententiam latam esse intellexit, & ex quo habuit facultatem appellandi; quia aliàs sequeretur hoc inconveniens, quòd appellanti ignoranti esset lapsum, & præclusum tempus petendi Apostolos, quando scilicet per triginta dies ignoravit, sententiam esse latam; cum tamen nondum esset lapsum, nec præclusum tempus appellandi, quod incipit currere à tempore scientiæ, juxta *l. 2. C. de temp. appell. & dictum supra Glof. in cit. cap. Ab eo; V. Triginta dies h. t. in 6. Marant. cit. actu 2. n. 209. Vestrius cit. cap. 3. n. 65.* sunt autem hi dies continui, *Mynsing. cent. 4. obs. 36.* ubi ait, quòd requisitio Apostolorum in Camera Imperiali non sit necessaria, sed consistat appellatio, etiam si non petantur.

CXLIV. Ceterum hoc loco addendum est, quòd statutum habetur in *Clement. Quamvis; 2. h. tit.* ubi dicitur: Quamvis rigor Juris exposit, ut is, qui appellat, Apostolos congruo loco, & tempore, scilicet, & instanter petat: tamen secundum antequam, & communem observantiam, & ex æquitate, quæ rigori meritò præferretur, sufficit, si ab appellante simul, & uno contextu Apostoli scilicet, & instanter petantur (tamen si nihilominus adhuc per intervallum, id est, interposito actu extraneo peti possint. *Glof. hic V. Uno contextu*) verum, si Judex, à quo appellatur, ad hos Apostolos recipiendos certum terminum præfigat (v. g. ad diem lunæ proximum, vel hodie post octo dies, vel octavâ die huius mensis &c. *Glof. hic V. Certum*) & appellans in illo termino non compareat, nec petat Apostolos sibi tradi, appellationi suæ renunciare censetur (quia Judex terminum, seu tempus à lute præfinitum ex causa prorogare, vel arctare potest. *l. 2. ff. de re judic.*) similiter, si Judex appellanti dixerit, se daturum Apostolos, infra terminum Juris; censetur appellationi suæ appellans renunciâsse, nisi intra dictum terminum, congruo loco, & tempore, instanter, & scilicet, saltem uno contextu, Apostolos sibi tradi petat à Judice, vel oblatos recuset recipere. Ubi *Glof. V. Infra dictum.* notat: si certus terminus præfigatur à Judice appellanti ad comparandum, vel ad recipiendum Apostolos; tunc debet is in termino assignato comparere, nec sufficit, terminum prævenire; alioquin, si appellans, intra illum terminum, Apostolos debite non petivit, vel oblatos recipere renuit, censetur appellationi renunciâsse; si verò terminum Juris incertum statuatur, scilicet: Intra terminum Juris, seu intra xxx. dies petas Apostolos, vel aliquid aliud facias: tum satis est, intra illum quocumque id petere, vel facere, dummodo congruo loco, & tempore id petat, vel faciat. Si verò Judex in termino

termino addendum Apostolos per eum præfixo, illos
 appellanti debet petenti non dederit: vel si, dum
 peterentur Apostoli, responderit, se eosdem da-
 turum, nullo termino certo ipsi præfixo: vel si di-
 xit, intra præfixum juris terminum, se eos velle da-
 re, & postea per appellantem, congruo loco, &
 tempore, sæpius, & instanter, uno etiam contextu
 requisitus, eos intra eundem terminum non cura-
 verit exhibere; tunc appellans potest prosequi suam
 appellationem, ac si fuissent expressè eidem Apo-
 stoli denegati; prout statutum est in *cit. Clement.*
 2. §. *fin. h. t.*

Hinc colligitur, quòd in tribus casibus appel-
 lans, ob denegatos, vel non datos Apostolos, ap-
 pellationem prosequi potest. Primò. Cùm in cer-
 to termino per Iudicem assignato Apostolos petenti
 non tradit. Secundò. Si, traditum se illos, dixit,
 sed terminum non statuit. Tertiò. Si dicens, se
 daturum intra Juris terminum, requisitus illi non
 tradit; ut constat ex *cit. Clement. & ex Ioan. Andr.*
notat Gl. fin. hic. Porro ex parte appellantis requiritur,
 ut petat Apostolos, congruo loco, & tempore:
 v. g. ut non petantur, quando Iudex est in prandio,
 vel in Missa, non de nocte, vel cùm Iudex est maio-
 ribus negotiis occupatus. *Gl. marg. hic.*

CXLV. Quæritur tertiò. Intra quod tem-
 pus præsentandi sunt Apostoli Iudici ad quem? Resp.
 Iudex, à quo appellatur, potest appellanti determi-
 nare, seu præfigere certum tempus ad introducen-
 dam suam appellationem, sive ad Apostolos ipsi da-
 tos præsentandos Iudici ad quem, ita, ut, si intra tale
 tempus (quod introducendæ appellationis vocatur)
 eos non præsentavit, appellatio deserta censetur. *l. Præses; §. junct. Gl. V. Præscriptum est 3 & Gl. marg. lit. A. Cod. h. t. & docet Quidam Papæ decis. 336.*
 Porro tempus à Iure definitum ad Apostolos præsen-
 tandos, & appellationem insinuandam Iudici ad
 quem, est sex mensium. *l. 2. C. de tempor. appellat.*
 quod currere incipit, non à die latæ sententiæ, sed
 à tempore interpositæ appellationis. *Gail lib. 1. obs.*
140. num. 1.

§. III.

*Intra quod tempus appellans prosequi
 debeat appellationem, &
 finire?*

CXLVI. Assertio prima. Appellanti ad pro-
 sequendam, & finiendam appellationem annus datur,
 & ex iusta causa biennium, ita tamen, ut Iudex à
 quo brevius tempus præfigere possit; idque probatur
 ex *cap. Cùm sit; §. in princ. hoc tit.* ubi Papa Ale-
 xander III. sic rescribit: Si ante sententiam (de-
 finitivam, scilicet ab interlocutoria) vel post sen-
 tentiam definitivam appelletur, annus concedi-
 tur appellantis, vel ex necessaria, & evidenti
 causa biennium; potest tamen Iudex, à quo appel-
 latum, consideratâ locorum distantia, & qualita-
 te causæ, ac personarum, brevius tempus assigna-
 re. Quòd si appellans intra hoc tempus causam
 appellationis prosecutus non fuerit; sententia prius
 lata, si post illam appellavit, & tener, & transit in
 rem iudicatâ, & appellans cadit causâ, nec ampliùs
 audiri debet in eadem causâ. Si verò aliquis appel-

lavit à gravamine, ante litis ingressum (seu litis
 contestationem. *Hofsiens. hic V. Eod.*) eius appel-
 latio recipitur; quia SS. Canones etiam extra Iu-
 dicium passim (id est tam ante sententiam definiti-
 vam, quàm post, in Iudicio, & extra illud, *Hofsiens. hic V. Eod.*) appellare permittunt; quamvis hæc pro-
 vocatio potius ad causam, quàm appellatio dici so-
 leat. Si denique aliquis in Iudicio, ante sententiam
 definitivam (post litis ingressum, seu litem conte-
 statam, ut differat ab eo, quod paulo superius dic-
 tum est. *Gl. hic V. Sententiam.*) appellavit, is debet
 stare sententiæ illius Iudicis, ad quem appellavit.
 Porro, quæ in fine huius cap. adduntur in §. *Præterea*
 suprâ sunt exposita n. 34.

CXLVII. Notandum primò. Appellanti in
 Iudicio, sive ante, sive post sententiam definitivam
 Iure est præfixus annus ad prosequendam, & finiendam
 appellationem, juxta *Clement. 3. h. t. & notat hic Abb. n. 1.* ex causa verò biennium, ad quod
 requiritur, ut sit causa necessaria, ob quam appel-
 lans intra annum non potuit prosequi, & finire suam
 appellationem: & ut sit causa evidens; idcirco que nota
 est, ut probetur, vel sit notoria. *Hofsiens. hic V. Ob-*
cessaria, & evidenti; & Abb. n. 2.

Notandum secundò. Sicut is, qui intra tem-
 pus, seu tempus à Iure præfixum appellationem,
 cessante iusto impedimento, non est prosecutus, reser-
 vetur appellationem deseruisse, perinde ac si non ap-
 pellasset. *l. fin. §. Illud etiam. C. de temp. appellat.*
 & qui appellationem non est prosecutus, intra reser-
 vatum à Iudice præfixum, deseruisse censendus est; qui
 cùm terminus à Iudice statutus succedat in locum
 termini, sive temporis à lege, seu Iure definiti, ean-
 dem quoad hoc effectum operatur. *Abb. hic num. 4.*
 Quare, si Iudex appellanti à definitiva statim tempo-
 nis mensis ad prosequendam appellationem, eo tem-
 po, si non sit prosecutus, sententia Iudicis à quo no-
 ta manet, nec expectatur, donec annus finitus sit,
 & statim potest fieri executio, parte non citatâ, & qui
 qui non debet audiri, nec citari debet. *Alexand. de*
num. 11. & 12.

Notandum tertiò. Quando in *cit. cap. Cùm sit*
 §. *Si autem; hoc tit.* dicitur: Siquis in Iudicio, ante
 sententiam definitivam, appellavit, stare debet senten-
 tiæ eius Iudicis, ad quem appellavit; id intelligi
 debet alternativè, nempe quòd appellans cogitur
 vel stare Iudicio Iudicis, ad quem appellavit, eam
 rem illo prosequendo, vel Iudicio, seu sententiæ Iu-
 dicis à quo, ac si ab eo non appellasset; cùm memo-
 reatur prosequi appellationem, *Glos. magna in cit. cap.*
Cùm sit; & V. Cogitur. h. t. & constat etiam ex cap.
Consuluit; 14. in fine h. t. ubi habetur, quòd Iudex
 debet cogere appellantem, ut vel prosequatur appella-
 tionem, intra terminum ipsi præfixum, vel eo tem-
 po, si prosecutus non sit, denuo se sistat Iudicio Iudicis
 & Iudicio ipsius pareat, appellatione remota. *Gl. ibi*
V. Cogere. & dictum suprâ num. 53.

CXLVIII. Porro, non solum Iudex Ori-
 narius, sed etiam delegatus potest præfigere terminum
 temporis competentem approbanti, abbreviando ter-
 minum à Iure statutum, & intra quem, si appellatio
 nem non fuerit prosecutus, eiusdem Iudicis delegati
 Iudicio, seu sententiæ parere cogitur: prout sumitur
 ex *cap. Ad aures 33. h. t. & habetur in integra*
lectura

lectione: Nam, cum Papa Alexander III. causam aliquam Judici à se delegato commisisset, appellatione remota, Reus citatus incidentes questiones proponens, ab interlocutoria appellavit, neque appellationi suæ terminum præfixit, sed moram traxit, in prosequenda appellatione, & sic Actoris petitionem suspendit. Ad hoc respondit Papa, clausulam illam, appellatione remota, non posse extendi ad incidentes questiones, cum eæ valde sæpe sint præjudiciales. Verùm in hoc casu, si appellans terminum non præfixit (sicut potest; ut infra dicitur) tum ipsemet delegatus contra terminum temporis præfigat, intra quem si appellationem non fuerit prosecutus, ex tunc compelleretur eiusdem Judicis iudicio stare; quia termino elapso, Judex à quo reassumit jurisdictionem. Ex quo patet, quod hoc c. loquatur de Judice delegato, de quo alibi non habetur textus ita clarus, quod etiam talis Judex possit præfigere terminum appellanti ad prosequendam appellationem, quo elapso, reassumat jurisdictionem, si appellans non prosecutus appellationem. *Gl. hic in princ. & Abb. Ratio autem, cur clausula, appellatione remota, non sit extendenda ad questiones incidentes, est; quia rescripta ita intelligi debent, ut partibus litigantibus præjudicium non offerant; ideoque, cum Judex delegatus in casu huius c. peteret, ut questiones incidentes posset, appellatione postposita, terminare, id ei Pontifex denegavit; ut patet ex integra lectione huius c. supra posita.*

CXLIX. Assertio secunda. Sicut appellans Judicalem, ita etiam extrajudicalem appellationem tenetur prosequi, & finire intra annum à die interpositæ appellationis, vel à die illati gravaminis, quando à futuro gravamine appellatur, numerandum. Quod si impedimento iusto cessante, non fecerit, eius appellatio censi debet deserta; prout statuitur in *Clement. Sicut; 3. h. t.* Nam quoad hoc eadem est in utraq; appellatione, Judiciali, & Extrajudiciali, ratio, ut nimirum terminus ad illas prosequendas, & finiendas datus non nimium restringatur, nec nimis dilatetur. *l. Properandum; 13. C. De judic. v. g. si possessor fundi, vel domus extrajudicialiter appellet, ne in sua possessione turbetur, vel, si Canonici velint eligere inhabilem in Episcopum; & Decanus v. g. se opponat, & appellet, ne eligatur: hoc casu, appellans debet prosequi, & finire appellationem intra annum, & ex causa, intra biennium, sicut de judiciali supra dictum; alioquin censetur deserta, seu derelicta. *Gl. Magna hic in notatis, & Abb. n. 4.**

CL. Ubi præterea Norandum primò. Hoc tempus annale, vel etiam biennale non currit appellanti impedito agere, seu appellationem prosequi; ut patet ex textu; adeoque non currit de momento ad momentum, sicut currit decennium concessum ad appellandum, neque dies, in qua interponitur appellatio, computatur in anno ad eam prosequendam, & finiendam præfixo. *Gl. hic V. à die. & Abb. hic n. 1.* Porro, quod dictum est, tempus anni in appellatione extrajudiciali currere à die interpositæ appellationis, vel à die illati gravaminis, si à futuro gravamine appellatum sit, id procedit de Jure Canonico: nam spectato Jure Civili, tempus hoc anni, vel biennii non

incipit currere, nisi post duos menses à die interpositæ appellationis, juxta *Auth. de Judicib. §. Appellationes; junct. Gl. V. Menses; collat. 6.* monet tamen *Alex. de Nevo in c. Ex ratione; 2. n. 3. h. t.* quod dispositio huius Clementinæ 3. de consuetudine servetur etiam in foro civili.

Notandum secundò. Discremen esse inter appellationem extrajudicalem, & Judicalem, quod in hac appellans, post desertam appellationem, sive post elapsum terminum à jure, vel ab homine, seu Judice definitum, non audiatur amplius, super sententia, sive interlocutoria, sive definitiva, contra quam appellavit. *Abb. in cit. c. Cum sit; n. 22. & Alex. ibid. n. 11. & dictum supra.* At verò is, qui appellavit à gravamine extrajudiciali, si post finitum tempus appellationi prosequendæ, & finiendæ præfixum, se gravatum dicat, non quidem per modum appellationis, cum ea deserta censeatur; sed per modum simplicis querelæ, seu per remedium juris communis, nihilominus audiendus est super jure suo. *c. Concertationi; 8. h. t. in 6.* quia facta Judicialia non transeunt in rem judicatam. *Abb. in cit. Cum sit; n. 19. & 22.*

§. IV.

An Judex à quo possit statuere terminum ad finiendam appellationem: & quinam præterea possint terminum præfigere ad prosequendam appellationem, vel iure statutum abbreviare:

& an etiam possint eundem prorogare?

CLI. Assertio prima. Judex à quo, etsi possit tempus præscribere ad appellationem prosequendam, non tamen potest terminum statuere, intra quem causa appellationis finiri debeat; quia non potest Judici ad quem, quippe Superiori, legem præscribere, aut terminum, intra quem causam appellationis recipere, & expedire, seu definire debeat, vel datis literis, eam ad Judicem priorem remittere, si quidem non potest aliquis alienæ, & quidem superiori jurisdictioni se immiscere: appellatio enim fit ab inferiore Judice ad superiorem; prout deciditur in *c. Ex insinuatione; 50. h. t.* Nam, cum inter Priorum, & Canonicos S. Barbaræ ex una parte, & Camerarium ex altera, super quodam agro, seu fundo coram Judice ordinario lis, seu controversia ageretur, Camerarius appellavit ad Papam; tum Judex, à quo appellatum fuit (qui causa Camerarii favere videbatur, eò quod quidam Clericus fuit commensalis, seu familiaris ipsius Judicis, & in eadem causa Advocatus Camerarii) terminum statuit, ut utraque pars litigantium ad festum Purificationis B. Virginis, à prosecutione appellationis reversa esset: quod tamen Judex iste facere non poterat: esset enim hoc legem imponere, seu præscribere ipsi Pontifici (ut scilicet eam causam teneatur intra prædictum terminum expedire) cum etiam secundum leges Civiles, & Cæsareas, si lis

» intimata sit in Consistorio Principis, mora litigantibus non obicit, donec Princeps ipsam recipi, & à proceribus dirimi jubeat. Interim verò nuncius Camerarii præveniens nuncium partis adversæ (scilicet Prioris, & Canonicorum) non expectato termino præfixo, litteras Apostolicas impetravit, & recessit. Quare Papa Innocentius III. mandavit quibusdam Judicibus à se delegatis, cum fraus, & dolus nemini patrocinari debeat, ut ipsi, si ita est, vocatis partibus, causam audiant, & definiant.

CLII. Notandum primò. Si Judex à quo terminum præfixit, intra quem causa appellationis fini-ri debeat, cenferi debet voluisse præfigere terminum, intra quem appellans insinuare debeat appellationem in Tribunali Judicis ad quem, & prosequi, juxta *Auth. Sed & lis. C. De temp. appell.* nam, cum Judex à quo præfigendo talem terminum, duo mandare cenferatur, nempe; ut appellatio insinuetur Judici ad quem, eamque appellans coram illo prosequatur; & ut finiat, intra illum terminum: hoc autem posterius mandare non possit, cum finire non sit in potestate Judicis à quo, neque partium litigantium, sed id spectat ad Judicem ad quem: prius autem possit Judex à quo, nimirum præfigere appellanti terminum ad insinuandam, & prosequendam appellationem; ideo prius mandasse cenferatur Judex à quo; idque intra præfixum terminum exequi debet appellans; quia utile per inutile vitari non debet, si ab invicem separari possint. *Reg. jur. 37. in 6.* nam, cum terminus præfixus ad finiendam appellationem, includat in se terminum ad eam prosequendam, *Clem. 3. h. r.* non enim potest finire appellatio, nisi appellans eam præsentet, & prosequatur; ideo, etsi non valeat talis terminus, respectu finiendæ appellationis, valet tamen respectu illius præsentandæ. *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo ibid. n. 7.* Idque confirmatur; quia universim loquendo, hæc videtur esse cuiusque intentio, ut, si actus, quem gerit, valere non potest in totum, valeat saltem ex parte, quantum potest. *Gl. hic V. Expectato; in fine. & Abb. ibid. n. 4. arg. c. unic. §. Idem quoque de despons. impub. in Sexto.* ubi habetur, quòd, si impuberes contrahant matrimonium per verba de præfenti, contrahere matrimonium cum nò possint, valeant illa, ut sponsalia de futuro. *Abb. c. l.*

Notandum secundò. Non potest pars litigans etiam appellans prævenire terminum à Judice statutum; sed expectare debet, donec terminus sit elapsus, nec antea debet à Judice ad quem litteras impetrare, quibus causa remittatur ad Judicem à quo; alioquin illæ non valent; quia veritate tacita sunt impetratæ, nullà factâ mentione de termino à Judice assignato. *Gl. hic V. Expectato; & Hostiens. V. Impetravit. Abb. n. 4.* Quare dolus commissus à Camerario appellante in casu huius c. in eo consistebat; quia curavit sibi brevem terminum à Judice à quo assignari, & fraudulenter prævenit partem adversam, impetrando à Judice ad quem litteras remissionis causæ, ante terminum Judicis à quo finitum, *Hostiens. c. l. & Abb. hic n. 4. in fine.*

CLIII. Assertio secunda. Judex ad quem non potest terminum à jure statutum ad prosequendam appellationem moderari, seu abbreviare, sicut potest Judex à quo, nisi ex nimia dilatione damnum Reipubl. vel periculum animarum immineret; ut docet

Abb. in c. Oblata; § 7. n. 6. h. r. & ibid. Alex. de Nevo 13. & duobus seqq. ubi etiam rationem diversè assignant; quia Judici à quo fit præjudicium per appellationem: nam per illam ipsius jurisdictionis impenditur, & sæpe frustratorie appellatur ad diffinendam causam; ideoque merito potest appellatio prosequenda, & finiendæ brevior terminum præfigere; ut fraudibus obvietur. Sed Judici ad quem non potest terminum præfigere, nisi id commodum publicum exigit, vel imminet periculum animarum propter longam vacationem Ecclesiæ; ut in causis spiritualibus electionum, postulationum, & aliis beneficialibus; quæ ideo celeriter expediri debent; item ubi veritatis periculum peccati, ob periculum incestus, vel adulterii, & in causa necessariorum alimentorum, ob periculum vitæ. sed neque Judex ad quem potest abbreviare terminum assignatum à Judice à quo; quia in pendente appellatione, non est Judex, nec alibi beneficium à jure concessum est auferendum, nisi ex dilatione imminet periculum Reipubl. vel animarum. *Abb. in c. Personas; 4. n. 12. h. r. & dictum supra.*

CLIV. Assertio tertia. Non tantum Judex à quo, sed etiam ipse appellans potest terminum congruum competentem sibi statuere ad prosequendam appellationem, & terminum à jure præfixum restringere, brevior sibi assignare; prout sumitur ex *c. Personarum; 4. h. r.* ubi Alexander III. ita rescribit: si appellans ad Papam nimis prolixum, seu longum terminum prosequendæ appellationis suæ præfixit, Judex à quo ei tempus assignare debet, intra quod ad S. Pontificem (vel alium Judicem, ad quem appellavit) commodè adire possit: quòd si intra illud tempus venire contempserit, vel neglexerit, tunc (id est, post terminum elapsum) Judex à quo eum compellat stare suo Judicio in iis, quæ in questione vertuntur, sive de quibus lis est. Si vero aliquis appellationi suæ competentem terminum præfixit, sed intra eundem causam appellationis prosequutus non fuit, Judex similiter illum cogere debet; ut elapso illo termino, sententiæ suæ, remota sive nullâ concessâ appellatione, patet. Ratio est; quia, qui intra debitum tempus non prosequitur appellationem, cenferatur non appellasse, & contempere sententiæ contra se latæ. *h. f. l. l. C. De temp. appell.* ideoque similiter, si quis non sit prosequutus appellationem, intra terminum à jure statutum, vel à se assignatum, compellatur stare, & parere sententiæ, à qua appellavit, ut patet hoc c.

CLV. Notandum primò. Quamvis à jure datur certus terminus, videlicet annus, ad prosequendam, & finiendam appellationem, potest tamen appellans eum restringere, & statuere sibi terminum brevior sibi, dummodo spectat circumstantiis convenientem tempus assignetur. *c. Cum sit; § 1. h. r. & Alex. n. 3.* Contrà verò appellatus non potest talem terminum præfigere appellanti, sicut potest hic sibi ipsi, nec jure statutum brevior; quia id non potest nisi per legem, & ratio est; quia non potest concessum adversario suo legem ponere, ipsique prosequi, restringendo terminum à jure concessum ad appellationem prosequendam, cum par in parte imperium non habeat: si tamen appellans sibi

nimis longum terminum statuit, potest Judex à quo illum restringere; ut patet ex hoc c. *Abb. ibid. n. 6. & Alex. n. 5. & 11.*

Notandum secundò. Licet Judex possit statuere terminum appellanti ad prosequendam appellationem, non tamen ad hoc tenetur, nec cogi potest. c. *Ad hæc; 27. h. t. Abb. hic n. 2. & Alex. n. 20.* Porro aliquando præfigitur terminus appellanti ad se præsentandum coram Judice ad quem; & de hoc termino fit mentio in *princ. huius c.* aliquando ad prosequendam appellationem; & de hoc agitur in hoc c. *Vers. Si autem;* aliquando statuitur terminus ad iter arripiendum: de quo est sermo in c. *Peruenit; 28. h. t.* quandoque verò statuitur terminus à lege, seu jure ad prosequendam, & finiendam appellationem, qui est annus, & ex causa biennium. c. *Cum sit; 5. & Clem. 3. h. t. & Auth. Ei qui. C. De temp. appell. & hic terminus juris datur appellanti, quando nullus terminus est statutus, nec per Judicem, nec per appellantem. Abb. in cit. c. Personas; n. 7. & Alex. n. 16. 20. & 21.* Item in hoc c. in *princ.* agitur de termino per Judicem abbreviato, quando appellans nimis longum posuit: in *Vers. Si autem;* quando appellans statuit sibi terminum competentem. *Alex. hic n. 19.*

Notandum tertio. Sicut post elapsum annum, vel biennium, censetur deserta appellatio, ita etiam post elapsum terminum assignatum ab homine, ad præsentandum se coram Judice ad quem, vel ad prosequendam appellationem, ea pro deserta habetur; adeoque tali termino elapso, sententia lata à Judice à quo manet firma, eique appellans parere debet, & potest mandari executioni, nec ulterius appellari poterit, nisi excedatur modus in exequendo: & talis terminus potest statui, tam in appellatione à sententia definitiva, quam interlocutoria, tum à Judice ordinario, tum delegato. *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 17.*

CLVI. Assertio quarta. Tempus à jure statutum prosequendæ, & finiendæ appellationi, videlicet annus, & ex causa biennium, nec Judex à quo, nec appellans prorogare, sive extendere possunt, quamvis restringere possint, breviorum terminum statuendo; prout expressè deciditur in c. *Oblare; 57. circa medium h. t.* ubi dicitur: *Cum id ideo sit constitutum, non ut terminus ipse præveniri non possit, sed ne valeat prorogari. Gl. mag. ibid. in notat. & Imol. n. 5.* An autem utriusque, & appellantis, & appellati communi consensu hic terminus prorogari possit, infra dicitur.

§. V.

Quanam præterea Jure Canonico statuta sint circa prosecutionem appellationis?

CLVII. Assertio prima. Si appellatio à Judice à quo sit recepta, vel à parte adversa approbata; tunc terminus à Judice præfixus appellandi ad prosequendam appellationem, quam tamen appellans intra illum non fuit prosecutus, eo elapso, vim peremptorii termini obtinet, ita, ut ex eo tempore perinde procedatur contra absentem tanquam contumacem,

ac si peremptoriè ad Judicium citatus non venisset, nec talis terminus præveniri ab aliqua partium litigantium poterit: si verò appellatio malitiosè non fuerit recepta, vel approbata, nihilominus ea vigorem habebit, modò constet, legitimè interpositam fuisse; prout decernitur in c. *Sæpe; 44. h. t.* ubi dicitur: *Quòd sæpe contingit, ut, qui à Judicis sententia appellavit, nec per se, nec per procuratorem idoneum appellationem interpositam prosequatur, vel, ut procurator ex malitia mandatum procuratorum occultet; ideòque lites indecisæ maneant, quæ tamen facillè terminari potuissent; quia, si juris quæstio sit mota (v. g. an laicus possit eligi in Episcopum) eius probationes non sunt necessariae: si verò quæstio facti agitur, eius probationes plerumque facillè in præsentia partium possunt adferri. Quamvis autem in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. (quod refertur in c. *Reprehensibilis; 26. h. t.*) statutum fuerit; ut, si quis in quacunque causa appellaret, & appellationem non sit prosecutus, & ille, contra quem appellatum fuit, veniat, appellante non comparente, hic ad solvendas expensas appellato condemnari debeat, ne quis in gravamen alterius facillè appelleret; quia tamen lites, & controversiæ nihilominus prorogantur; id eo Papa Innocentius III. statuit; ut, si huiusmodi appellatio, vel à Judice à quo recepta, vel à parte (adversâ, contra quam appellatur) approbata sit, terminus appellanti præfixus ad appellationem prosequendam, obtineat vires peremptorii, ita, ut ex tunc (post terminum elapsum) perinde contra absentem (sive appellantem, sive appellatum. *Gl. hic V. Absentem; & Hostiens. hic V. Procedatur*) procedatur (per Judicem, ad quem appellatum, instante appellato, vel etiam appellante. *Hostiens. hic V. Procedatur*) ac si peremptoriè citatus ad Judicium non venisset. Quòd si verò appellatio per malitiam, vel non recepta à Judice, vel non approbata à parte fuerit, constet tamen, legitimè appellatum fuisse, nihilominus ea suum vigorem obtineat: ita tamen, ut salva maneat Constitutio (edita ab eodem Alexandro III. in c. *Cum sit; 5. h. t.*) videlicet, ut, si appellans intra terminum ei præfixum, appellationem suam non prosequatur, sententia, quæ per appellationem suspensâ erat, rata tum sit. (Quia, qui non prosequitur appellationem, censetur non appellasse. *Gl. hic V. Rata manet*). Porro, si appellans, post elapsum terminum præfixum, adveniat, justumque impedimentum, ob quod non potuit appellationem suam prosequi, alleget, & probare velit, audiri debet. *cit. c. Sæpe. Versic. Quidquid autem;* sicut peremptoriè citatus, & non comparens audiri debet, si contumaciam excusare velit, seu ostendere, se contumacem non fuisse, allegato, & probato non veniendi impedimento. *Gl. hic V. Absente proponi.**

Denique, si quis terminum à Judice à quo, vel ab appellante præfixum præveniens, litteras, seu Rescriptum super ea causa, ad Judicem delegatum impetaverit, tacitâ veritate (videlicet quòd terminus statutus fuerit à Judice, vel à se ipso, seu appellante, & multò magis, si tacuisset ipsam appellationem. *Gl. hic V. Tacitâ veritate; junct. Gl. marg. l. c.*) carere debet litteris impetratis, & pœnam contumaciæ

» tumaciæ sustinere (quia scilicet à Judice, cui fit
» commissio, condemnabitur ad expensas solvendas.
» *Gl. hic V. Panam contumaciæ.* Et hæc, quæ dicta
» sunt, in litiibus, seu Judicibus exercendis obser-
» vari debent; prout habetur in, *cit. c. Sepe; in fine*
h. l.

CLVIII. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Si dominus citatus misit procuratorem, qui non comparuit, vel occultavit mandatum procuratorium; tunc dominus condemnatur in expensas, tanquam contumax: secus, si procurator post litiis contestationem sit contumax, per quam factus est dominus, vel mandatum malitiosè occultet: tunc enim ipse condemnari debet, quia & citari debuit, non dominus. *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 3.*

Notandum secundò. Allegationes, & positiones Juris non debent necessariò probari; quia, cum Jus sit certum, & notum Judici, præsertim supremo, qui jura omnia in scrinio pectoris gerere censetur. *c. 1. de constit. in Sexto.* non indiget probatione; & hinc etiam positionibus juris adversarius respondere non cogitur: sunt tamen danda dilationes ad allegandas positiones juris, si petantur à parte. *Abb. hic n. 3. & Alex. n. 15. 16. 17. & 20.*

Notandum tertio. Si appellatio sit recepta à Judice, & approbata à parte; tunc post elapsum terminum prosequendæ appellationis, si altera pars adveniat, potest Judex contra partem absentem tanquam contumacem, sine alia citatione, procedere, ad instantiam alterius partis, perinde, ac si peremptoriè citata fuisset, ut patet ex hoc c. Idque intelligi debet, non tantùm de appellante, sed etiam de appellato, si adveniente appellante, ipse ad Judicium venire negligat; ut tradit *Gl. recepta hic V. Absentem; & Abb. n. 6.* Aliud est, si appellatio non sit recepta à Judice, nec approbata à parte: tunc enim appellatus non tenetur venire, nisi citetur. *Abb. hic n. 9.*

Notandum quarto. Si appellatio per malitiam non recipiatur à Judice, vel non approbetur à parte, quam tamen constat esse legitimam, tunc nihilominus habebit vigorem, quoad retractationem attentatorum; quia per appellationem legitimam suspenditur jurisdictio Judicis à quo; idèoque, quicquid post appellationem gessit, retractabitur: non tamen causa devolvitur ad Curiam, si ad Papam appellatum sit: nec præfixio termini prosequendæ appellationis habebit vim peremptoriæ, ac proinde appellatus non tenebitur comparere, nisi fuerit citatus. *Abb. hic n. 22. & Alex. n. 33.*

Notandum quinto. Hæc constitutio habet locum in appellationibus Judicialibus, & extrajudicialibus; idque colligitur ex fine huius c. ibi: *In litiibus*, id est, in appellationibus interpositis extra Judicium: *Sive in Judiciis*, id est, in appellationibus in Judicio; ut explicat *Abb. hic n. 4. notat. ult.* Et sic sub nomine *litiibus*, intelliguntur hæc appellationes extrajudiciales; ut differant à nomine *Judiciis*: alioquin verò nomen *lis* in propria significatione debet intelligi de lite Judiciali; quia propriè *lis* tantùm dicitur esse post litem contestatam, secundùm *Gl. fin. in c. Ex parte; 30. de V. S.* aliquando tamen accipitur impropriè pro lite extrajudiciali; ut hic. *Alex. hic n. 39.*

CLIX. Assertio secunda. Si una partium li-

tigantium appellet, & altera pars terminum appellationis prosequendæ ab homine, id est, ab ipso appellante, vel à Judice à quo præfixum, hoc tacito, præveniat, impetrando literas commissionis ad litiis delegatos, ante elapsum terminum præfixum; tunc huiusmodi litteræ, seu Rescriptum tanquam subreptitiè impetratum, in quo nulla facta est mentio de termino præfixo, non valet: si autem terminus datus sit à lege, seu Jure, videlicet annus, vel ex causa biennium; tum litteræ impetratæ ad Judices delegatos valent, eisque standum est, dummodo impetrans non nimium properaverit in commissione impetranda, ut supplantet adversarium: & nisi ex dilacione imminet periculum, etiam neutrâ parte prosequente tunc enim Iudex ad quem supplere potest, comparando partes ad prosecutionem appellationis, prout deciditur in *c. Oblata; 57. h. l.* Nam, cum ante duas Ecclesias, & plebes S. & R. orta esset controversia, eam Pontifex delegavit quibusdam Judicibus, qui pro plebe S. sententiam protulerunt, à qua procurator plebis R. ad Papam appellavit, nulla designato termino ad prosequendam appellationem: sed nec Indices terminum præfixerunt, nec appellationi detulerunt. Tunc verò Parochus plebis S. litteras à Sede Apostolica impetravit, ut sententia pro illa rationabiliter lata observaretur: sed altera pars adversa postea impetravit alias literas commissionis ad alios Judices, ut eadem sententia infirmaretur, nulla tamen priorum litterarum in posterioribus factâ mentione. Unde dubium ortum fuit, num priores Indices, an postores de causa delegata cognoscere deberent? Ad hoc respondit Innocentius III. quanvis à sententia legitimè appellanti indulgeatur à lege annus, & ex causa biennium, ad appellationem impetratam prosequendam; quia tamen hic terminus, à Judice, à cuius sententia appellatur, tum à parte appellante restringi, non autem prorogari potest, idcirco distinguendum est: si enim certus terminus ab appellante, vel à Judice appellationis prosequendæ præfixus sit, eoque tacito, is, contra quem appellatum est (idemque est de appellato. *Gl. hic V. Appellatur;* & constat ex *cit. c. Sepe; h. l.*) litteras commissionis impetravit, ex tanquam subreptitiè impetratæ, nullam habent firmitatem. Si verò terminus aliquis à litiis, vel appellante non sit præfixus; tum is, contra quem appellatum, intra terminum à lege constitutum, potest litteras commissionis impetrare, quarum super causa appellationis procedatur, dummodo non nimis citò præveniat; ut adversarium in commissione impetranda supplantare videatur: & ita quidem impetrare potest huiusmodi litteras; ut appellans, si appellationem prosequi velit, coram Judice impetrato agere debeat, nihilominus legitime recusare possit. Quòd si appellatus agere nolit, nihilominus appellatus causam prosequi poterit, præsertim, si ex dilacione periculum ipsi imminet, vel gravamen generetur. Sed, si superior Iudex, ad quem appellatum, si adversus periculum ex dilacione imminere, dum neuter litiigantium appellationem prosequitur, ipse potest ac debet providere; ut periculum evitetur. Ut si v. g. à sententia lata super alicuius electi contumacia

matione fuerit provocatum, & utraque pars li-
tem, seu prosecutionem appellationis differre velit
usque ad annum; tum Judex ad quem appellatum,
potest, ac debet moderari terminum juris, & bre-
viorem partibus præfigere, intra quem appellatio-
nem prosequi teneantur, ne grex Christi diu Pa-
storis curâ destituatur. Ex his igitur, ait Papa In-
nocentius, colligi posse, quid respondendum sit ad
interrogata; nimirum per litteras posteriores non
derogari prioribus legitime impetratis, sed per eas
ad confirmandam, vel infirmam sententiam
prius latam rationabiliter procedi posse.

CLX. Pro explicatione huius c. Notandum
primò. Non solum appellans, sed etiam appellatus
potest impetrare Judicem delegatum super causa ap-
pellationis prosequenda; ita tamen, ut appellans de-
beat impetrare Judicem super infirmatione senten-
tiæ, appellatus verò super confirmatione eiusdem, fa-
cta tamen mentione de appellatione alterius partis.
Gl. fm. hic, & Alex. n. 6.

Notandum secundò. Si terminus sit statutus à
Judice à quo, vel ab appellante, ad prosequendam ap-
pellationem; tum ante terminum finitum, neutra
pars potest prævenire talem terminum, impetrando
litteras, ut causa appellationis committatur, nisi fiat
mentio de ipso termino: nam tunc valet imperatio;
ut colligitur ex hoc c. ibi: *eo tacito*, à contrario sen-
su, & docet *Alexand. ibid. num. 8.* Debet autem fieri
mentio de termino, quando impetratio commissionis
fit, ante elapsum terminum ab homine præfixum:
secus, si fiat postea; quia tunc valet imperatio, etiam
non facta mentione termini. *Alex. hic n. 9.* Sin autem
nullus terminus sit præfixus ab homine ad prosequendam
appellationem; tunc distinguendum est inter
appellantem, & appellatum; nam appellans po-
test toto anni tempore, quodcumque vult, prosequi
appellationem, & impetrare litteras super causa ap-
pellationis cognoscenda; quia terminus à jure statu-
tus est concessus in favorem ipsius. *Gl. hic V. Pars ap-
pellata; & Alex. n. 9. & 18.* At verò appellatus non
debet nimis prævenire appellantem in impetrando
Judice delegato super causa appellationis, sed cogi-
tur expectare tempus congruum, secundum prudentis
viri, seu Judicis arbitrium, in quo appellans
paratus esse possit ad causam prosequendam. *Alex.
cit. loc.* Neque etiam cogere potest is, contra quem
appellatum est, appellantem ad prosequendam ap-
pellationem, vel ipsimet eam prosequi, nisi prope fi-
nem termini legalis, hoc est, post undecimum anni
mensum, in ultimo mense: vel, si appellans impedi-
tus fuit in primo anno, expectare debet appellatus,
usque ad ultimum mensem biennij, antequam possit
procedere in appellatione, juxta *Auth. Si qui; §. Appella-
tore; & C. de temp. appell. quæ est canonizata in c. Et,
qui; 41. caus. 6. q. 2.* nisi ipse appellans esset præsens,
& paratus prosequi appellationem: tunc enim potest
appellatus in causa appellationis procedere, etiam
ante finem, seu ultimum mensem termini legalis, &
petere, ut sententia pro se lata confirmetur. *Alex. hic
n. 19. 20. & 22.* Quòd si verò appellans legitime ci-
tatus non compareat prope finem termini legalis,
adeoque agere, vel appellationem prosequi noluerit,
potest appellatus nihilominus, etiam ipso absente,
causam appellationis prosequi, & petere, ut ea secun-

cundum commissionis litteras definiatur; ut significa-
tur in *cit. c. Oblata; juncti. Gl. V. Prosequi; & in cit. Auth.
Et, qui.* Si denique nec appellans, nec appellatus, in-
tra annum, vel ex causa intra biennium, prosequatur
appellationem; tum neque Judex ad quem compellere
partes potest, nec debet ad eam prosequendam, nisi spi-
ritualibus, vel temporalibus ob moram detrimentum
patiatur: tunc enim posset, aliàs non; uti sumitur ex
cit. c. Oblata; & §. Superior quoque; & ibi Gl. V. Periculum.

Notandum tertio. Per litteras commissionis po-
teriores non derogatur prioribus legitime impetra-
tis, sed per illas ad confirmandam, vel infirmam
prius latam sententiam procedi potest. *cit. c. Oblata;
in fine;* dummodo in prioribus litteris de appellatione
alterius partis facta sit mentio; aliàs non valerent,
quippe tacita veritate impetrata. *Gl. fm. ibid.* Ex quo
per contrarium sensum infertur, quòd, si priores litteræ
non valent; tum tenent posteriores, licet non
faciant mentionem, de prioribus litteris; quia de lit-
teris subreptitiis, & invalidis non est necessariò fa-
cienda mentio. Vnde, si appellans nimium prævenis-
set, impetrando priores litteras commissionis, vale-
rent posteriores litteræ impetratae per appellantem, li-
cèt in iis nulla fieret mentio de prioribus, quippe, quæ
non fuerunt legitime impetratae. *Alex. in cit. c. Obla-
ta; num. 16.*

CLXI. Assertio 3. Si appellans, qui termi-
num appellationi suæ prosequendæ præfixit, eaque à
Judice fuit recepta, vel ab adversario approbata, mi-
sit ad Curiam Romanam, vel ad Tribunal Judicis ad
quem procuratorem ad impetrandam tantum delega-
tionem causæ, & contradicendum imperationis par-
tis alterius; tunc reputatur ipse principalis appellans
contumax, adversa parte causam appellationis perso-
naliter prosequente; quia non misit sufficientem pro-
curatorem, cum pleno mandato ad totam causam ap-
pellationis prosequendam; ideòque condemnari de-
bet ad solvendas expensas à tempore appellationis ab
adversario factas; prout statuitur in *c. Nicolaus; 64. h. r.*
Nam, cum lis esset orta inter Abbatem, & Conven-
tum S. Mariæ, & Nicolaum militem, Monachi ap-
pellarunt ad Sedem Apostolicam, & miserunt unum
ex Monachis procuratorem, cum mandato procu-
ratoris, ad impetrandum duntaxat delegationem
causæ, & contradicendum imperationi partis alte-
rius; ad quam causam cognoscendam Papa Cardi-
nalem Auditorem dedit, coram quo, partibus præ-
sentibus, procurator Monasterij mandatum suum
exposuit: miles verò petivit, ut contra Monachos
tanquam contumaces procederetur, & ad expensas
condemnarentur. Quare Papa Honorius III. qui-
busdam à se delegatis mandavit, si ipsis constiterit,
Abbatem, & Conventum appellationi suæ termi-
num præfixisse, ut ipsos ad expensas à tempore ap-
pellationis factas solvendas condemnent, eò quòd
dictus Abbas, & Conventus, milite, contra quem
appellatum est, personaliter causam appellationis
prosequente, procuratorem non sufficientem ad
eamdem prosequendam miserint: Cuius ratio est;
quia patria censentur non comparere, vel comparere
per procuratorem non sufficientem. *Arg. l. Quoties;
& ff. qui sarisd. cog.*

CLXII. Hinc colligitur primò. Quando cau-
sa per

sa per appellationem est devoluta ad Curiam Romanam; tunc non sufficere, quod appellans, vel appellatus, si personaliter non veniat, mittat procuratorem ad impetrandum Judicem delegatum in partibus, & ad contradicendum impetrationi alterius partis; sed debet mitti procurator, cum sufficiente mandato ad prosequendam appellationem in Curia Romana; alioquin dominus reputabitur contumax, & condemnabitur in expensas; ut patet ex hoc c. *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 8.* Dicitur autem causa devoluta ad Curiam Romanam, ita, ut in illa tractari possit, non per solam præfixionem termini ad appellationem prosequendam, sed requiritur etiam, ut appellatio sit recepta à Judice, vel à parte approbata, ut in casu huius c. Nam ex eo, quod miles appellatus voluit causam appellationis personaliter prosequi in Curia, præsumendum est, ipsum recepisse, seu approbasse appellationem Abbatis, vel Conventus. *Abb. hic n. 5.* ubi addit, quod, sicut per præfixionem termini juris non devolvitur causa appellationis ad Curiam, ita nec per præfixionem termini hominis, qui succedit in locum termini juris: subrogatur autem sequitur naturam eius, in cuius locum subrogatur.

Colligitur secundò. Si appellans non prosequatur appellationem; tum potest appellatus eam prosequi, & petere à Judice *ad quem*, ut eum condemnet in expensas à tempore appellationis interpositæ factas. *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 14.*

CLXIII. Ceterum, si appellatio non sit à Judice recepta, nec ab adversario approbata; tunc appellans licet potest ad Curiam Judicis *ad quem* mittere procuratorem, ad impetrandum literas commisionis, & contradicendum impetrationi alterius partis tantum, quamvis pars adversa sit parata per se, vel per idoneum procuratorem apud Papam (vel alium Judicem *ad quem*) iudicium suscipere, sive et si velit, ut causa appellationis ab ipso Judice *ad quem* cognoscatur; prout deciditur in c. *Interposita*; 70. §. *Eidem quoque*; h. t. Ratio est; quia tunc non censetur appellatio ita devoluta ad Curiam Judicis *ad quem*, ut non possit, etiam invito appellato, causam prosequi coram illo: nam in hoc c. non dicitur, appellantem hoc non posse, sed solum permittitur illi facultas impetrandi literas ad Judicem delegatum, si velit, & appellatio non sit recepta à Judice, vel à parte adversa, cui permissioni in favorem suum factæ potest renunciare, sive illa non uti velle; ut notat *Abb. in cit. §. Eadem quoque n. 4. h. t.* Et sibi imputet appellatus, quod non approbavit appellationem; ideòque non possit compellere appellantem ad eandem in Curia Judicis *ad quem*. *Gl. in cit. §. Eadem quoque*; V. *Recipere iudicium*. Ubi etiam monet, ut, quando appellatio fuit à Judice *à quo*, vel ab adversario recepta, appellans mittat sufficientem procuratorem, cum pleno mandato ad prosequendam totam causam appellationis, ne alioquin condemnetur adversæ parti causam prosequenti in expensas, juxta *cit. c. Nicolao*; h. t. Item, ut præfigat terminum appellationi suæ, ne appellatio possit supplantari; ut notat *Gl. ibid. in Additione*. Atque hinc etiam per sensum contrarium colligitur, si vel Judex appellationem recepit, vel adversarius eam approbavit, quod causa appellationis ad Curiam Judicis *ad quem* devoluta censetur, ita, ut ibi tractari debeat, si velit appellatus, juxta *cit. c. Nicolao*, *Abb. in cit. §. Eadem quoque*; n. 3. de quo supra,

§. VI.

An, & ob quas causas, seu impedimenta admittatur quis etiam post annum, vel post biennium ad prosequendam appellationem?

CLXIV. Assertio 1. Quamvis annus, & tunc iusta causa biennium prosequenda, & finiendæ appellationi iure sit definitum: si tamen aliquis intra hoc tempus propter impotentiam (vel aliud legitimum impedimentum) appellationem interpositam prosequi intermisit, etiam post biennium appellationis ad eam prosequendam admitti debet, & iustitia ipsa contra priorem Judicem administrari, ne præjudicium ei generetur; prout statuitur in c. *Ex ratione*, 8. h. t. & ibi *Gl. in casu*. Ratio est; quia legitimum impedimento agere non currit fatale, seu tempus prosequendæ appellationis, neque enim imputari debet ei, pro quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *Reg. jur. 41. in Sexto*. & ideo appellans legitime impeditus ipso iure servatur illatus, ita, ut etiam post biennium elapsum audiri debeat, & admitti ad prosequendam appellationem. *Gl. hic V. Impotentiam*.

Porro, quamvis aliqui ex hoc c. colligant, quia tempus anni, vel biennij iure concessum ad prosequendam appellationem currat à die late sententia, ex illis verbis, *à sententia contra vos prolata*, id tamen inde non colligitur; quia illa verba referenda sunt non ad biennium, sed ad appellationem interpositam, ita, ut hoc tempus currat, non à die late sententia, sed à die interpositæ appellationis. *Abb. hic n. 2. & dictum etiam supra.*

CLXV. Assertio 2. In specie verò lex causa seu impedimenta commaniter afferri solent, ob quæ appellans, etiam post elapsum annum, vel biennium admitti debet ad prosequendam appellationem; prout videre est apud *Abb. in cit. c. Ex ratione*; n. 4. §. *seqq. h. t. & Alex. de Nevo ibid. n. 10. & seqq.* Primum impedimentum est ex parte appellantis: nam fatiæ seu tempora appellationis prosequendæ, & biennium non currunt propter impotentiam, si non potest quis eam prosequi intra tempus statutum, *cit. c. ad ratione*; ibi: *per impotentiam*; h. t. v. g. propter imbecillitatem, vel paupertatem. *Gail. lib. 1. obs. 142. n. 1. & 2.* nam regulariter impedito non currit tempus. *c. Quod 5. de concess. preb.* & mora non debet esse alterius demerito, si culpabilis non est. *l. Quod 10. §. ff. de pign. credit.* Quin imò etiam tempus interponendæ appellationis, videlicet decendium, non currit paupertate, si in scriptis, nempe ab interlocutoria, vel à debitorum ex intervallo sit appellandum; ideòque aliquod tempus instrumentum appellationis expendendum: tum etiam allegatâ, & probatâ inopiâ coram Judice *à quo* (per testimonium vicinorum; quia hi censentur scire factam viciniam. *c. Quosdam*; 7. de præsumpt. vel per testimonium Magistratus eius loci, ubi quis domicilium habet. *l. 1. de sumuntur*, nisi probentur; paupertas autem in factis consistit) etiam post decendium, ipso iure, & non per ritâ restitutione in integrum, est admittenda ad appellatio; quia impossibile nulla est obligatio.

l. 185. ff. de R. I. &, si difficultas excuset à mora, multò magis impotentia: secus verò, si vivà voce, nempe à definitiva incontinenti appellandum sit, tunc enim decendum illud currit etiam pauperi; cum enim nihil tunc expendendum sit, non excusat paupertas à desertione appellationis. *Gail. c. l. num. 3. & seqq.* Porro, si appellans per propriam impotentiam, v. g. propter infirmitatem, vel inopiam, in primo anno impeditus fuit, ipso jure datur ipsi secundus annus, & si in secundo anno etiam impeditus fuerit, eo quoque elapso, datur ei tertius ad prosequendam appellationem ipso jure. *Gl. in cit. c. Ex ratione; V. Impotentiam; & in c. Cum sit; 5. V. Indulgetur*; vel per restitutionem in integrum ipsi subveniendum est, ut servetur illatus. *Alex. c. l. num. 49. & 116.*

Secundum impedimentum provenire potest ex facto appellati, ut si is impediatur per se, vel per aliam appellatam à prosecutione appellationis, petendo frustratorias dilaciones, vel per suas cavillationes, prorogando iudicium, ne appellatio debito tempore finiatur, vel, si impediatur appellatam, extra iudicium, quò minus appellationem prosequi possit: nam tunc, si tale impedimentum contingat in primo anno, currit quidem primum fatale, sed ipso jure conceditur secundus annus, in quo, si impedimentum interveniat, tempus prosequendi appellationem ei non currit ipso jure; ut decidit Rota Romana *decis. 15. aliàs 102. in novis tit. de appellat.* vel saltem petità restitutione in integrum, appellans servatur illatus; quia tempus fatalium hoc casu labitur factò, & culpà adversarij, nec censeri debet appellatio deserta contra impeditum, sed contra existentem in mora culpabili. *Abb. in cit. c. Ex ratione; n. 8. Alex. ibid. n. 27. & 67.*

CLXVI. Tertium impedimentum intervenire potest ex facto utriusque, tam appellantis, quàm appellati, ut, si uterque, pendente appellatione, commiserunt in arbitros, vel expresso consensu convenerunt, ut differatur, seu suspendatur appellationis prosecutio: tunc enim tempus ab homine, vel à jure ad eandem prosequendam præfixum non currit appellanti, nec appellato, nisi ob periculum imminens ex dilacione, ac morà Iudex præcipiat, ut in causa appellationis procedatur; prout statuitur in *Clement. Quàm diu*; 4. h. t. eaque desumpta est ex *Auth. Si tamen*; C. de temp. appell. cui tamen tria addit hæc Clementina. Primum, quòd illa Authentica solum loquitur de compromisso, Clementina verò etiam de alio consensu partium; ut, si pestis cœpit grafari in loco appellationis, & tam appellans, quàm appellatus convenerunt eam differre ad certum tempus. *Gl. magna hic, & V. Vel aliàs.* Secundò, Constitutio civilis loquitur solum de termino juris: Canonica etiam de tempore præfixo ab homine. *Gl. hic V. Ab homine.* Tertio, in Clementina additur exceptio: nisi Iudex videns, periculum imminere, ex officio præcipiat partibus, ut procedant in causà appellationis, non obstante compromisso, vel alio consensu partium, videlicet, si causà appellationis, ob imminens periculum Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel salutis animarum, desideret celerem expeditionem; ut in causà electionis ad Prælaturam, & in causà matrimonij; tunc enim Iudex ex officio debet supplere, & compellere partes ad litigandum. c. 1. de collus. deteg. & *Auth. Qui semel*; C. quom. & quando Iudex &c. adeoque etiam ad prosequendam causam appellationis. *Gl. magna hic, & V. Imminere*; ubi in *addit. Glossæ* dicitur, idem esse, si ex dilacione præiudicium fiat alicui tertio, etiam privato: & tunc terminus prosequendæ appellationis incipit currere à tempore præcepti Iudicis. *Gl. fin. hic.* Ratio decisionis est; quia tempus prosequendæ appellationis principaliter datum est in favorem ipsorum litigantium. *l. fin. §. Illud; C. de temp. appell.* ne diu laboribus, & expensis vexentur, cui favori renunciare possunt. Requiritur autem, ut expresso consensu partium prosecutio appellationis differatur, nec sufficit tacitus; ut si appellans, & appellatus simul ad domicilium redeant, vel longam peregrinationem instituant; & sibi id appellans imputare debet, quòd in talem peregrinationem consenserit; præsertim, cum per procuratorem illam prosequi potuisset. *Gl. hic V. Expresso; & Abb. n. 4.*

Porro deserto compromisso, vel tempore, de quo inter partes convenit, finito, appellanti, & appellato solum dabitur tantum temporis, quantum tempore compromissi, vel conventionis factæ adhuc restabat ad prosequendam, & finiendam appellationem; quia tempus illud tantum erat suspensum, & quiescebat; ideòque postea iterum currit. *Gl. hic V. Currere.*

CLXVII. Sed jam hæc quaeritur, an tempus prosequendæ, & finiendæ appellationis, non solum per compromissum, sed etiam per expressum consensum utriusque partis, appellantis, & appellati, prorogari, & extendi possit, & non tantum suspendi. Negant id *Abb. in cit. c. Ex ratione; n. 8. h. t.* & alij communiter; tum quia tempus primæ instantiæ, sive causæ principalis, videlicet triennij, consensu partium prorogari non potest, ne quidem mediante juramento, neque per viam compromissi, aut adiectionem pœnæ, licet abbreviari possit, favore boni publici, ut lites citius finiatur. *Gl. communiter recepta in l. Properandum*; 13. *V. Triennij*; C. de judic. *Gail. lib. 1. obs. 41. n. 5.* ergo nec prorogari potest, consensu partium, tempus secundæ instantiæ, sive causæ appellationis, licet abbreviari possit: tum quia in *c. Oblata*; 57. h. t. expressè habetur, quòd terminus prosequendæ appellationis præveniit possit, seu abbreviari, sed non prorogari: tum denique, quia obstare videtur textus in *l. Nemo*; 3. *C. de temp. appell.* ubi dicitur, quòd appellatio introduci debeat, intra tempus statutum.

Verùm contrariam sententiam affirmativam, quòd tempus exercendæ, & prosequendæ appellationis per expressum consensum partium prorogari, & augeri possit, ita, ut v. g. instantia appellationis duret quadriennio, vel longiore tempore, docet *Felin. in c. Ex ratione*; 8. n. 2. h. t. *Alex. ibid. n. 54. Mayan. p. 6. de ord. judic. actu 2. de appell. n. 225. Gail. c. l. n. 6.* Idque probatur primò, ex *l. fin. §. ult. C. de temp. appell.* ubi dicitur, quòd partes possunt pacisci, ut nullum fatale observetur; ergo etiam possunt, communi consensu, fatalia appellationis, non solum restringere (ut explicat *Abb. illum textum*) sed etiam prorogare, & prolongare, & appellationem prosequi ultra terminum à jure definitum, siquidem per pactum tollere possunt fatalia, nec ea servare tenentur. Secundò, in *cit. Clement. Quàm diu*; dicitur, quòd non currat tempus appellanti (nec appellato. *Gl. ibid. V. Appellanti*) quando per consensum expressum partium prosecutio appellationis differtur; ergo possunt partes paciscendo efficere, ut fatalia non currant: & licet oppo-

litæ sententiæ DD. dicunt, illum textum loqui de suspensione, & non de prorogatione; tamen in effectu nulla est differentia inter suspendere, & prorogare; cum suspendendo fatalia lites æquè fiant immortales, atque prorogando. *Marant. c. l. num. 225. & 229.* Tertiò. Tametsi terminus, intra quem causa delegata expediri debet, à delegante præfixus sit; tamen partes, communi consensu, eum ulterius prorogare, seu extendere possunt. *c. De causis; 4. de offic. deleg. & l. 2. §. Si & Iudex; ff. de iudic.* quia terminus causæ citius expediendæ in favorem partium constitutus videtur, cui renunciare possunt. *Arg. c. Ad Apostolicam; 16. de Regular.* ergo etiam terminus præfixus causæ appellationis prosequendæ, & finiendæ, communi partium consensu, prorogari potest.

CLXVIII. Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur in primis, etsi prima instantia causæ principalis, nec expressè, nec tacitè, prorogari possit; imò nec per compromissum suspendi: instantia tamen secunda appellationis per compromissum suspenditur. *cit. Clem. Quàm diu;* ergo ab illa ad hanc non rectè arguitur: & ratio diversitatis est; quia de maiore præiudicio partium agitur in causa appellationis, quàm in causa principali: nam perempta instantiâ causæ principalis, cursu triennij pereunt solùm acta iudicij, sed non perimitur jus partis: jus enim denuo agendi manet integrum: at verò perempta secundâ instantiâ, seu finitâ causâ appellationis, perit tota causa, & sententiâ Iudicis à quo transit in rem iudicatam. *Clem. pen. h. t.* idèoque meritò permissum est, ut cursus fatalium appellationis, consensu partium, possit suspendi, & prorogari propter irreparabile præiudicium. *Marant. c. l. num. 226. & seq. Gail. cit. obs. 141. num. 6.*

Ad *c. Oblata; 57. h. t.* dicitur, illum textum debere intelligi, quòd solus appellans, vel etiam Iudex, sine consensu utriusque partis litigantium, non possit prorogare terminum prosequendæ appellationis, etsi possit abbreviare, imò & prorogare ex iusta causa; ut addit *Gl. ibid. V. Prorogari;* allegans *cit. c. Exratione; h. t.* idèoque intelligere illud oportet secundùm textum, quem allegat: at verò partes litigantes, communi consensu, & abbreviare, & prorogare possunt terminum appellationis prosequendæ statutum, juxta *cit. Clem. Quàm diu. Mar. c. l. num. 227.* Ad *cit. l. Nemo responderet;* illam non loqui de prorogatione, sed de reparatione, quæ fit finito tempore appellationis; ut colligitur ex eadem lege, in qua fit mentio de reparatione: transactis enim fatalibus, nemo potest impetrare reparatione temporis, postquam appellatio jam est omnino deserta: hinc autem loquimur de prorogatione, quæ fit durante adhuc tempore appellationis prosequendæ constituto. *Marant. c. l. n. 228.* monet tamen *Alex. cit. c. Exratione; num. 55. h. t.* tutius esse, in praxi sequi communem opinionem, quòd partes communi consensu solùm suspendere possint terminum appellationis prosequendæ præfixum, v. g. ut ad sex menses tempus appellationis non currat.

CLXIX. Quartum impedimentum prosequendæ appellationis intervenire potest ex parte Iudicis, si Iudex, ad quem appellatum, noluerit, vel non potuerit causam audire, & cognoscere: tali enim casu ipso jure illæsus servari debet appellans, ut etiam

post elapsum biennium audiatur, nec currat tempus, nec indigeat restitutione in integrum; ut *Gl. in cit. c. Exratione; V. Impotentiam; h. t. de Ex infirmatione; 50.* ibi: *Lis absque damno moræ in re facta permaneat. h. t.* ubi *Gl. magna in notariis,* quòd impedimentum Iudicis non nocet causæ, nec partibus præiudicat. Communitè tamen distinguitur DD. vel enim impedimentum provenit à Iudice, vel Principe, qui Superiorem non recognoscit: & tunc appellans ipso jure servatur illæsus, ita, ut ei tempus appellationis non currat, etiamsi per mille annos impeditur ex facto Principis. *cit. c. Ex infirmatione; ibi: Lis, quæ in Consistorio Principis speratur inferri & Auth. Sed & lis; C. de temp. appell. c. Anteriorum; 28. §. Ad hæc sancimus; caus. 2. q. 6.* idèoque propter multitudinem causarum in Curia Principis, *Gl. c. l. n. 7.* Vel impedimentum provenit à Iudice intertunc ipso jure per Iudicem impedito in primo anno conceditur secundus annus. *l. ult. §. Illud; C. de temp. appell.* Si verò impedimentum occurrat in secundo anno, saltem restituendus erit, etsi tempus currat impedito, nec datur ipso annus tertius; ut docet *de in cit. c. Exratione; num. 6.* quamvis alij DD. *Alex. ibid. num. 75. & duobus seqq. dicant,* quòd distinctè, sive impedimentum occurrat in primo, sive in secundo anno, tempus non currat, ipso jure, *text. in Authent. Si appellatione; C. de temp. appell. dicitur,* quòd, si Iudex negotium appellationis in definitis diebus suscipere differat, nullum præiudicium partibus, vel uni earum proveniat &c. *Per hoc casu,* si impedimentum proveniat ex facto Iudicis, debet appellans, vel eius procurator protestari & quidem sæpius, quòd per se non fiet, quòmodo causa appellationis intra tempus præfixum expediri ac proinde, quòd ipsi fatalia currite non debeant. Si verò impedimentum aliunde proveniat, quòd ex facto Iudicis, non requiritur necesse est talis protestatio, sed sufficit, quòd impedimentum probetur: quovis tutius sit semper protestari de impedimento. *de c. l. num. 41. & 43; Marant. c. l. num. 219. & Gail. c. num. 9.*

CLXX. Quintum impedimentum est: si appellans impediatur à prosequenda, & finienda appellatione, intra tempus debitum, facto tertij, vel propter negligentiam procuratoris, qui non fuit percutus appellationem: tunc currit tempus appellationis, neque datur restitutio in integrum adversus ipsum fatalium: attamen appellans habet actionem in interesse contra impediendum; & si ille non est impediendum tertij non debet præiudicare appellato, qui non fuit in culpa; idèoque agitur contra tertium ad interesse, & sententiâ lata manet rata, & valida. *Gl. in cit. c. Exratione; V. Impotentiam; ibid. num. 8. & Alex. num. 69. & 70.* ubi etiam rationem diversitatis assignant inter impedimentum præstitum ab Adversario, scilicet appellato, & impedimentum præstitum à tertio; quia hoc non debet præiudicare appellato, qui in culpa non fuit, ut dicitur, quæ ratio cessat, quando appellatus præstitit impedimentum; idèoque tunc, vel appellans ipso jure servatur illæsus, vel saltem restituitur, juxta supra dictum.

Similiter, etsi dolus, vel negligentia procuratoris in non appellando, vel non prosequendo appellatum

neni, non excuset Dominum; quia sibi imputare debet, quod negligentem procuratorem elegerit. *l. Cum mandato; 23. in fine. ff. de minor. ac proinde neque datur ei restitutio in integrum adversus lapsum fatalium: habet tamen dominus actionem mandati contra procuratorem negligentem ad damnum, & interesse praestandum. l. à procuratore; 13. C. Mandati; & si non est solvendo, dominus restitui debet in integrum in ordine ad appellandum. Alex. c. l. num. 73. Gail. lib. 1. obs. 143. num. 6.*

Sextum denique impedimentum est proveniens ex casu fortuito, ut, si via hostibus infestâ sint, quod minus ad Iudicem appellationis accedere quis possit, vel, si procurator appellantis in via captus sit, & tunc, si impedimentum contingat in primo fatali, seu anno, ipso jure datur secundus annus. *l. fin. §. Illud. C. de temp. appell. Alex. c. l. num. 80. si in secundo anno, subveniendum est appellanti, saltem per restitutionem in integrum; quia id generale est, quod si per me non stat, mihi imputari non debet. Gl. fin. in cit. c. Ex ratione; h. r.*

CLXXI. Prædictis addendum primò. Onus probandi impedimentum prosequendæ appellationis incumbit appellanti, juxta *l. fin. §. Illud etiam; C. de temp. appell. & colligitur ex cit. c. Ex ratione; ibi: Constituitur; h. r.* Ratio est; quia impedimentum est quid facti: facta autem non præsumuntur, nisi probentur: ergo non impedimentum præsumitur, nisi probetur ab eo, qui allegat illud. Non autem sufficit, impedimentum probari per proprium juramentum appellantis, sed plene probari debet per testes, *cit. l. fin. §. Illud; ubi requiritur evidentissima probatio ad hoc, ut detur secundus annus appellanti: & in c. Cum sit; h. r.* requiritur, ut non nisi ex necessaria, & evidenti causa detur appellanti biennium; quia, licet probatio per juramentum sufficiat in causis modici præiudicii, non tamen, quando agitur de gravi præiudicio, ut in proposito de amittendo jure jam quaesito appellato per desertionem appellationis. *Abb. in cit. c. Ex ratione; num. 11. h. r. & ibid. Alex. num. 28. & seqq. ubi tamen num. 34. addit, quod appellans potest probare impedimentum per juramentum, intervenientibus alijs coniecturis, ex quibus resulet violenta, vel quasi violenta præsumptio: ea enim censetur liquida probatio. Porro non sufficit solum probare juramentum, sed insuper requiritur, ut appellans probeat, quod diligentiam adhibuerit ad impedimentum amovendum, & appellationem prosequendam; ut docet *Gail. cit. obs. 143. n. 2. & 3.* quia tunc demum dicitur ex justa, & necessaria causa quis impeditus, quando post adhibitam diligentiam remanet impedimentum; alioquin, qui facile potest tollere impedimentum, & non tollit, non dicitur impeditus, sed potius illud volens pati: qui enim potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. *l. 174. ff. de R. L.**

CLXXII. Addendum secundò. Si appellans toto primo anno fuit impeditus prosequi appellationem, vel debitam diligentiam ad removendum impedimentum adhibuit; etsi hoc modico tempore duraverit; tunc datur illi secundus annus integer. *c. Cum sit; §. h. r. & Auth. Eis qui; C. de temp. appell. ubi absolue dicitur, quod appellans ex necessaria, & evidenti, vel justa causa habeat biennium. Alex. in cit. c. Ex ratione; num. 95. & seq. h. r. si verò appellans, non toto anno*

primo, sed aliquo tantum tempore, seu parte anni impeditus fuit; tunc de rigore juris datur illi secundus annus, non quidem integer, sed ex eo tantum tempore, quantum in priore anno, propter justum impedimentum, ei fuit ablatum: attamen secundum praxin, & usum fori; præsertim Ecclesiastici; magis obtinuit, ut propter quodcumque impedimentum primi anni detur secundus integer, modo appellans adhibuerit aliquam diligentiam, & non fuerit negligens in removendo impedimento per totum primum annum; ut colligitur ex *Auth. Si appellatione; C. de temp. appell. ubi dicitur, quod, si appellans veniat ad Iudicem appellationis novissimo induciarum die, sive ultimo die fatalium, id sufficiat. Abb. in cit. c. Ex ratione; num. 12. & Alex. num. 97. & seqq.* Porro, an, quando impedimentum occurrit in secundo fatali, seu anno, debeat appellanti ex justa causa impedito concedi tertius annus, ipso jure, vel saltem à Iudice per restitutionem in integrum ex clausula generali, juxta *l. 1. in fine ff. Ex quib. caus. maiores & c. videtur potest Abb. in cit. c. Ex ratione; num. 9. & Alex. ibid. num. 116. & duobus seqq.*

CLXXIII. Addendum tertio. Elapso primo fatali, seu anno, potest Iudex à quo sententiam à se latam exequi, si ipsi non constet de justo impedimento appellantis, tanquam appellatione desertâ, neque protestatio aliqua ab appellante facta sit: idque probatur ex *Clement. Sicur; 3. h. r.* ubi dicitur, quod post annum finitum, appellatio debeat censeri desertâ, cessante justo impedimento: ergo non est necesse expectare lapsum biennij ad sententiam executioni mandandam, quando non constat de aliquo impedimento: & in *l. fin. §. Illud etiam; C. de temp. appell.* habetur, anno primo elapso, sententiam latam contra appellantem in suo robore durare, & ad effectum perducere, ac si ab initio minime fuisset provocatum. Item in *c. Cum sit; §. h. r.* habetur, quod appellanti datur annus, ad prosequendam appellationem, & ex justa, & necessaria causa, scilicet impedimento, biennium: ergo, si non constat de justa, & necessaria causa, non datur biennium, ac proinde Iudex à quo potest sententiam exequi, si de ullo impedimento non constet. Ratio est; quia lex, sive jus non dat appellanti secundum annum simpliciter, sed solum sub conditione: si justa causa impedimenti intervenierit. *cit. Auth. Eis qui; ergo etiam post primum annum elapsam, appellatio fit desertâ, si non probetur justa causa, seu impedimentum, ob quod dari debet secundus annus: neque rectè appellaretur primus annus primum fatale, in *l. 2. in princ. C. de temp. appell.* si non extingueret appellationem lapsus primi anni, non dato, & probato impedimento, sicut extinguit lapsus secundi anni. *Alex. in cit. c. Ex ratione; num. 131. Maran. de appell. num. 220. & duobus seqq.* Debet autem Iudex à quo, antequam sententiam exequatur, citare appellantem, si non liquidè constat, appellationem esse desertam; quia poterit forte probare impedimentum, & tunc dabitur ei secundus annus, neque Iudex à quo exequi poterit sententiam; & si eam executus sit, revocabitur sententia, & executio. *Abb. in cit. c. Ex ratione; n. 13. & duobus seqq. Alex. ibid. n. 141. & seq. Maran. c. l. n. 223.* Poterit etiam appellans allegare impedimentum coram Iudice ad quem, & ab eo petere, ut inhibeat Iudici à quo, ne interim mandet executioni sententiam. *Alex. c. l. num. 131. & 134.**

SECTIO VII.

DE OFFICIO UTRIUSQUE
Judicis à quo, & ad quem ap-
pellatur.

S. I.

*Quando, & quomodo procedere pos-
sit, ac debeat Iudex à quo, sive
sit ordinarius, sive dele-
gatus?*

CLXXIV. Assertio 1. Regulariter Iudex à quo tenetur deferre cuilibet appellationi, sive eam admittere, & gesta, seu acta coram se intra XXX. dies, unâ cum relatione, seu Apostolis, transmittere ad Iudicem appellationis; prout statuitur in *l. Iudicibus*; 24. *C. h. t.* alioquin, si non deferat appellationi interpositâ ex iusta causâ; punitur de Jure Civili poenâ 30. librarum auri, si sit civilis causâ, *l. Quoniam*; 21. *C. eod.* si verò criminalis; poenâ arbitrariâ. *Marant. de ord. judic. p. 6. de appell. num. 199.* Iure verò Canonico spectato, Iudex non deferens appellationi mittitur ad Superiorem puniendus, arbitrio eiusdem. *c. De priore*; 31. *h. t.* & olim Iure antiquo Iudex non admittens appellationem, deponendus erat, si causâ fuit criminalis. *c. Decreto*; 11. §. *Si autem*; *junct. Gl. V. Submotus*; *caus. 2. q. 6.* si verò civilis, punitur poenâ arbitrariâ. *Durand. in specul. tit. de appell. §. de offic. eius, à quo appell. num. 1. Maran. cit. loc. n. 199. & 388.* Excipit debet, quòd Iudex non tenetur deferre appellationi in omnibus ijs casibus, in quibus de jure est prohibita, de quibus dictum supra, & in quibus Iudex potest procedere, appellatione pendente. *c. Cum appellationibus*; 5. *h. t. in 6. Maran. c. l. n. 388.* Porro Iudex à quo debet deferre appellationi propter reverentiam Superioris Iudicis, etiam si dubitetur, an causâ appellandi sit legitima, necne; ut docet *Abb. in c. Vi debitus*; 59. *num. 30. h. t.* quia sententia, priusquam transijt in rem judicatam, non magis habet pro se presumptionem justitiæ, quàm iniustitiæ, sed pendet ab eventu, utrum iusta, vel iniusta pronuncietur.

CLXXV. Assertio 2. Iudex appellationi per fraudem, vel malitiam interpositâ non debet deferre, nec illam admittere, sed in causâ nihilominus procedere, eamque definire; ut constat ex *c. Suggestum*. 15. *h. t.* ubi habetur, quòd quandoque aliqui ab adversarijs suis oppressi, appellant (extrajudicialiter, v. g. ne in electione Episcopi procedatur) & appellatione factâ, iter arripiunt Romam ad appellationem prosequendam: adversarij verò eorum, etsi sciant, appellationem esse interpositam, non tamen ad Papam accedunt, nec nuncium, seu procuratorem mittunt; postquam autem intellexerunt, illos, qui appellarunt, litteras à Papa impetrâsse ad Iudices delegatos, ipsi quoque appellant, & iter arripiunt, Romam versus, ut sic adversa-

rios suos eludant. Ad hoc respondit Papa Alexander III. ut, si deprehensum fuerit, postterius appellantes id per fraudem, vel ex malitia fecerint, appellationi eorum deferendum non esse, sed ea non obstante, in causâ procedendum, eamque definire, tamen verò aliâ responsam sit in *c. Meminimus*; 9. & *c. Ad hæc*; 30. *h. t.* quòd Iudex delegatus, si ante citationem appelletur, ne in causâ procedat, superferere debeat; id tamen, cum ob gravamen oppressorum removendum constitutum fuerit, non debet ad opprimendam justitiâ converti. Ratio decisionis est; quia, quòd lege constitutum est ad certum finem, non debet ad effectum contrarium deservire: cum ergo appellatio introducta sit, ut per illam tollatur iniustum gravamen ab utroque appellanti, non debet fieri ad iniustum gravamen primendum per fraudem, ac malitiam; adeoque ad appellationi non est deferendum, sed illa non obstante, Iudex debet procedere in causâ sibi commissa, eamque definire, ut habetur hic. Similiter, quia provisum est ad concordiam, non debet tendere in noxam. *c. Licet*; 6. *dis. 4. Gl. fm. hic, & privilegia juris ad iniquum dispendium trahi non debent. c. Quoniam nullis*; 25. & ibi *Gl. V. Iniquum*; de privilegia non debent inde nasci iniuriæ, unde jura naturalium. *Nonnulli*; 28. *junct. Gl. V. Iuris observantia, de Rejura.*

CLXXVI. Porro hæc Constitutio procedit quando quis per fraudem, vel malitiam appellat, iter arripiendo ad Sedem Apostolicam, ut adversam partem eluderet: secus est, si Iudici causâ aliqua à Papa commissa sit, adiectâ clausulâ, appellacione remota: tum enim, si pars adversa, postquam citata, ne præventâ fuerit, iter arripuit ad Sedem Apostolicam, Iudex delegatus nihilominus in causâ procedet, secundum formam juris: si verò ante citationem (vel etiam ante scientiam litterarum contra ipsum impetratarum) iter arripuit; tunc Iudex delegatus non potest procedere in causâ sibi commissa, prout statuitur in *c. Meminimus*; 9. *h. t.* & ibi *Gl. V. Ante citationem.* Ratio prioris partis est; quia per legitimam citationem censetur præventus, quominus appellare possit, sive verbo, sive factis, iter arripiendo ad Superiorem, si is causam commissa appellatione remota; & sic Iudex delegatus potest huc procedere: idemque est, si postquam scientiam contra se impetratas esse, ivit ad Curiam Romanam, ut habetur in summa huius c. Ratio posterioris partis est; quia, si talis, ante citationem, bonâ fide, & sine fraude, personaliter iter arripuit ad Sedem Apostolicam: tunc Iudex delegatus non potest procedere in causâ; quia tales itinerantes, si non sunt, antequam iter arriperent ad Papam, per citationem præventus sunt sub protectione Sedis Apostolicæ, ut citationem contra eos in causâ procedi non possit. *c. 1. de Clericis peregrinant. Abb. hic num. 1. & 3.*

CLXXVII. Pro intellectu utriusque huius c. Notandum primò, Quando jus aliquid statuit nullâ expressâ causâ, si tamen ex iplo jure naturali vel probabilibus coniecturis appareat, & colligitur sit una adæquata ratio naturalis ipsius legis: tunc secundum limites eiusdem rationis, restringi, vel quando etiam ampliari debet ipsa lex, & ita servari docet *Abb. in cit. c. Suggestum*; *h. t. n. 2. & ibid. de num. 3.* quia principalis, seu adæquata causâ, seu

legis ferenda, sive sit verbis expressa, sive tacite, & prudenter subintellecta, est veluti spiritus, & anima legis, secundum quam illa dirigi, & explicari debet. *Laym. lib. 1. Theol. mor. tract. 4. c. 18. n. 4.* Ut in proposito in *c. Meminimus*; 9. *h. t.* statutum fuit, ut Judex delegatus non procedat contra itinerantes ad Papam, si ante citationem, sine fraude, iter arripuerunt: sed in *c. Suggestum*; 15. *eod.* illa decretalis restringitur ad limites rationis, ob quam inducitur appellatio, & emanavit illa Constitutio, videlicet, ut per eam reparetur gravamen parti illatum, non autem ad opprimendam justitiam alicuius. *Abb. ibid. n. 2. & 3.*

Notandum secundò. Itinerans personaliter, ex justa causa, ad Papam, vel alium Principem supremum, cessante fraude, eximitur à jurisdictione cujuscunque Judicis, ita, ut interim contra ipsum in causa procedi non possit, idque non vi appellationis, sed vi privilegii concessi itinerantibus personaliter ad Papam, sive in suum, sive alterius favorem; quia tales sunt sub protectione Sedis Apostolicæ. *Abb. in cit. c. Suggestum*; n. 1. & 3.

CLXXVIII. Assertio 3. Si super interlocutoria sententia, seu questione incidente, v. g. exceptione aliqua appellatur, Judex à quo super sedere debet, non tantum cognitione questionis incidentis, super qua appellatum est, sed etiam ipsius causæ principalis, si quæstio incidens, vel exceptio ita connexa sit causæ principali, ut hac non discussa, illa definiri non possit; prout statuitur in *c. Super eo*; 10. *h. t.* ut, si v. g. in petitorio judicio opponatur, Judicem non esse competentem, vel excommunicatum, vel opponatur impedimentum consanguinitatis, & à tali exceptione appelletur. Ratio est; quia, si Judex ad quem cognosceret super articulo incidente, super quo est appellatum, & Judex à quo super causa principali, contentia causæ divideretur, & appellans in eadem causa traheretur ad diversos Judices, quod nimis durum foret, & prohibitum in *l. Nulli*; 10. *C. de Judicis.* ac proinde non debet esse unus Judex articuli incidentis, & alius causæ principalis. *Abb. hic n. 8.*

Ex quo inferitur per contrarium sensum, quòd, si articulus, seu quæstio incidens, super qua est appellatum, non sit connexa causæ principali, sed ab illa separata, ita, ut sine causa principali definiri possit; tunc Judex à quo, si appellationi non deferat, poterit eam non obstante, procedere in causa principali, eamque cognoscere, ita, ut etiam justificata postea appellatione, processus ipsius, sive acta Judicij super causa principali non sint rescindenda, nec Judex ad quem possit cognoscere de causa principali; ut docet *Alex. in cit. c. Super eo*; n. 23. & 29. licet contrarium teneat *Gl. ibid. V. Teneamur*; & *Abb. n. 8. & 9.* ubi dicunt, argumentum à contrario sensu hic non habere locum, eò quòd contrarium sit in jure definitum, quòd tamen non probant. Talis autem articulus, sive quæstio incidens non connexa causæ principali, sed separata, ita, ut eam etiam non discussa, decidi possit ipsa causa principalis, est v. g. utrùm pars litigans, propter contumaciam, in expensas sit condemnanda: item, si appelletur ab exceptione compensationis, & aliæ similes. *Abb. in cit. c. Super eo*; n. 3. *h. t.*

CLXXIX. Ceterum, si pars litigans, antequam sententia proferatur, in appellationem prorumpat, eò quòd literæ delegationis sunt subrepti-

tia, quippe per falsi suggestionem impetrata; non ideo sententia definitiva differri debet; prout deciditur in *c. Super eo*; 10. *§. Si autem*; *h. t.* Ratio est; vel quia ea exceptio falsitatis allegata solum, sed non fuit probata; ideòque appellatio non valebat: vel quia exceptio dilatoria (cujusmodi est exceptio ob falsitatis suggestionem, vel taciturnitatem veritatis) ante litem contestationem opponenda est. *c. Inter*; 20. *de sentent. & re judic.* si ergo post illam opponatur, non est recipienda; ideòque Judex à quo, non obstante tali appellatione, sententiam ferre debet. *Gl. fin. in cit. §. Si autem.* Aliud est de illa exceptione falsi, per quam opponitur, Rescriptum, vel instrumentum esse supposititium, seu falsatum: ea enim post litem contestationem, imò etiam post sententiam opponi potest; ut constat ex *c. Cum venerabilis*; 6. *de exceptionibus.*

CLXXX. Assertio 4. Si unus ex litigantibus appellavit, Judex à quo potest illum compellere, ut vel intra terminum ipsi præfixum, appellationem interpositam prosequatur, vel coram se juri pareat. Quòd si alterutra pars litigantium Judicem, etsi ordinarium, suspectum habuerit: tunc potest ab hoc compelli, ut Judicem, sive Arbitrum sibi eligat, qui propositam quæstionem valeat dirimere, sive, qui de causa suspicionis, legitimè sit, an non, judicet; prout statuitur in *c. Ad hæc*; 27. *h. t.* Ratio prioris partis est; quia, qui appellationem, intra debitum tempus, non prosequitur, censetur non appellasse, *l. fin. §. Illud etiam*; *C. de temp. appell.* si quis autem non appellet, vel non legitimè recedat à Judice, qui causam cognoscere cepit, debet illa coram eodem finire. *l. Nulli*; 10. *C. de Judic.* Ubi tamen Notandum primò. Judex à quo non est obligatus, ut præfigat appellanti terminum prosequenda appellationis, sed potest, si velit, eum relinquere sub dispositione Juris communis; ut colligitur ex *cir. c. Ad hæc*; ibi: *Jus tibi sit*, quòd verbum non importat necessitatem, seu obligationem, sed solum facultatem præfigendi terminum, si velit, ut notat *Abb. ibid. n. 2.* non enim, quidquid Judicis potestati permittitur, id subijcitur juris necessitati, *l. Non quidquid*; 40. *ff. de Judicis*; solum igitur alternativè potest Judex compellere appellantem, ut vel appellationem prosequatur, vel ad suum Judicem redeat, & coram ipso se sistat. Verumtamen, si suspicio esset, quòd pars litigans temere, & frustratorie appellavit; tunc male ageret Judex, si terminum appellationi prosequenda non statueret; quia malitijis hominum non est indulgendum. *c. Plerumque*; 23. *de Rescript.* quorum aliqui quandoque appellant solum, ut lites per annum, vel biennium protrahant. *Abb. hic n. 2.*

Notandum secundò. Si Judex, sive delegatus, sive etiam Ordinarius, ut suspectus recusatus fuerit; tum vel partes possunt eligere arbitrum, qui de causa suspicionis cognoscat, eamque dirimat; vel potest ipse Judex recusatus compellere partes, ut Judicem eligant, cui ipse vices suas, seu causam committat, juxta duplicem expositionem huius *c.*, quam tradit *Abb. hic n. 3.* & *Alex. n. 6.* idque, ne sub prætextu frivolæ reculationis, jurisdictionis proprii Judicis eludatur. *Vivian. in Relation. hic*, sed de hoc plura infra.

CLXXXI. Ceterum illud specialiter Jure Canonico statutum est, ut, si Canonicus admonitus ab Episcopo suo ad residentiam, appellet ad Papam, Episcopus ipsi mandet, ut, vel resideat in Ecclesia sua, vel

vel intra terminum ipsi ab Episcopo præfinitum, ad Sedem Apostolicam accedat ad appellationem prosequendam; prout deciditur in *c. Peruenit*; 28. *h. t.* Nam cum G. Ecclesiæ Salabriticensis Canonici ab Episcopo suo ad residentiam faciendam admonitus fuisset; ipse in appellationem prorupit: hoc cognito, Alexander III. mandat eidem Episcopo, ut, cum suspicio sit, frustratorie dilationis causâ, Canonicum hunc appellasse, eundem serio moneat, ut vel resideat in sua Ecclesia, vel intra terminum ipsi præfinitum iterum ad Romam versus arripiat. Interim verò, dum Canonicus ille abest, & appellationem prosequitur, persona honesta, quæ vices eius gerat, sive idoneus Vicarius ei substituendus est in Ecclesia, cui ex beneficiorum ipsius redditibus congrua sustentatio assignetur. Quod si dictus G. alterutrum horum facere neglexerit (nimirum vel non residerit, vel iterum non arripuerit ad appellationem prosequendam) tum Episcopus præbendam suam cum privet, eamque alteri personæ idoneæ conferat.

CLXXXII. Notandum primò. Quia Canonicus de Jure communi tenetur personaliter deservire in Ecclesia, in qua habet præbendam; ideo potest compelli ad residentiam in illa. *Gl. hic V. Residentiam*; & *Abb. n. 1. & 2.* quòd si ab Episcopo admonitus appellet ad Papam, terminus ei præfinitus est ab Episcopo, intra quem appellationem prosequi debet, juxta *cit. c. Peruenit*; 28. *h. t.* & *Abb. hic n. 5.* quia suspicio, vel præsumptio est, quòd talis appellatio fiat frustratorie tantum, litis protrahendæ causâ, cum sit contra Juris communi dispositionem. Admittitur tamen huiusmodi appellatio, licet frustratoria præsumatur; quia Jus commune requirens, ut Clerici beneficiati resideant, habet plures exceptiones, quæ à personali residentia excusant, unde posset accedere, ut appellans allegeret justam causam non residendi, v. g. infirmitatem, vel quia abest cum licentia Prælati (in *Gl. hic V. Residentiam*; quòd tamen hodie non admittitur, nisi causa probabilis in appellatione exprimat coram Judice à quo. *c. Vi debitus*; 59. *h. t.* *Gl. hic V. Frustratoria*; & *Abb. n. 6.*

Notandum secundò. Pendente tali appellatione, constituendus est Vicarius Clericus, qui loco Canonici deserviat Ecclesiæ; quia non debet Ecclesia interim carere suffragio Clerici, neque servitium Ecclesiæ, propter appellationem ipsius, quippe, quæ frustratoria præsumitur, diminui, quamvis aliàs appellatione interpositâ, & receptâ, nihil interim innovari debeat. *Gl. hic V. Assignet.* Quòd si talis Canonicus non prosequatur appellationem, intra tempus ipsi præfixum, nec ad residentiam redeat, privandus est Canonicatu, nisi justâ causâ fuerit impeditus; quia Ecclesiastica beneficia non debent diu carere proprio Administratore, ne Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus patiantur detrimentum. *c. ult. §. Porro*, ut *litæ non contestat* & *c. Gl. fm. hic.*

CLXXXIII. Assertio 5. Præterea olim statutum fuit Jure Canonico, si à Papa Judici delegato causa commissa sit, ut in ea procedat, appellatione remotâ, & altera pars litigans, contra quam commissio facta est, appellet, dicens, se nuncium misisse ad Sedem Apostolicam super eadem causâ: hoc casu, Judex delegatus, si ei constiterit, appellatorem,

antequam per citationem præventus fuit, vel cognovit, commissionem causæ à Sede Apostolica factam esse, nuncium ad Papam destinasse, in eandem procedere non potest, sed appellationi per nuncium missionem factæ deferre debet. Si verò post factam citationem, nuncius fuit missus, Judex nihilominus procedere potest, & mandatam exequi debet, prout deciditur in *c. Ad hæc*; 30. *h. t.* & ibi *Gl. de R. Ratio* decisionis est; quia, sicut is, qui personaliter profectus est ad Papam, antequam citatus fuit, cognovit, litteras commissionis contra se impetratas esse, excusatur, ut interim contra ipsam à Judice delegato procedi non possit; quia sine dolo, & bonâ fide iterum ad Papam suscepit. *c. Meminimus*; 9. *h. t.* si nuncius missus nuncium, ante citationem, & notitiam litterarum, defenditur, ut interim respondere non teneret coram Judice delegato impetrato per partem adversam. *Abb. hic in fine*, & *Alex. ibid. n. 2.* lecus est appellans misit nuncium, postquam scivit, se citatum fuisse, & notitiam habuit litterarum commissionis ab adversa parte impetratarum: tunc enim Judex delegatus nihilominus contra illum procedere debet, quia tunc censetur malitiosè agere, & dolo; cum non sciret, se citatum, & litteras commissionis contra se emanasse, debebat comparere, & non mittere nuncium ad Papam; ideoque reputatur esse communi.

Alex. hic n. 3. Verumtamen decisio hujus *c.* revocata est à Innocentio III. in Concilio Generali Lateranensi: hodie non valet, nec admittitur talis appellatio per missionem nuncij ad Sedem Apostolicam, nisi per litteras delegationis super eadem causa fuerit obtenta, & Judici delegato præsentata; ut constat ex *c. Vi debitus*; 59. *h. t.* & notat *Gl. fm. in cit. c. Ad hæc*, & dictum suprâ *n. 112. & seq. h. t.*

CLXXXIV. Assertio 6. Postquam Papæ alius Princeps supremus causam aliquam ad se revocavit; tum Judex inferior, à quo causa est revocata, non potest amplius procedere in illa causa, sed quod quid circa illam decrevit, ipso jure invalidum est, si ab eo legitime appellatum fuisset; prout constat ex *c. Ut nostrum*; 56. *h. t.* cuius casus reperitur, & refertur secundum integram eius lectionem in *cap. Ut nostrum*; unice. *Ut Ecclesiast. benef. sine dolo. cap. junctâ Gl. ibid. in casu*, cuius *c.* pars tantum hinc potest, est autem casus talis: Cum Cancellaria Ecclesiæ Mediolanensis ultra annum vacasset, ad hoc tanto tempore, ut ad Sedem Apostolicam eius collectio devoluta esset, Innocentius III. mandavit Archiepiscopo Mediolanensi, ut Hannibali Subdiacono Papæ eandem conferret. Sed Archiepiscopus prius diversa rescribens, alterâ vice respondit, & eadem mensibus, priusquam Bullam acciperet, Cancellariam Henrico contulisse. Tum Pontifex misit, ut Archiepiscopus mitteret Romam idoneum procuratorem, qui ostenderet ipsum personam idoneam, & modo Canonico, ac tempore competentem Cancellariam contulisse, & ut Henricus, cui collectio facta referebatur, Romam quoque veniret ad prosequendum jus suum. Sed Archiepiscopus non obstante hoc mandato, sigillum Cancellariæ dicto Henrico tradidit. His intellectis Pontifex mandatum dedit quibusdam Judicibus delegatis, ut, si cognoverint, quòd sigillum traditum sit,

postquam Papa totius causæ cognitionem ad se revocavit, traditionem sigilli irritam esse decernant, prohibentes Henrico, ne illo unquam uti præsumat, cum plus sit, Romanum Pontificem negotiorum, seu causam ad se revocare, quam ad ipsum super ea appellare. Ratio decisionis ponitur in fine huius cap. quia plus est, causam ad se avocare, quam sit, super eadem appellare: sed per legitimam appellationem suspenditur iurisdicção inferioris Judicis à quo, ita, ut in ea causa amplius procedere non possit, nec aliquid innovare, ut infra dicitur: ergo multò magis suspensa est iurisdicção Judicis inferioris, postquam S. Pontifex causam ad se advocavit, & manus ad negotium apposuit. *Glos. hic V. Cum plus.* Idemque est de quovis alio Superiore Papà inferiore, dummodo potestatem habeat ad se avocandi talem causam. *Arg. l. Iudicium; § 8. ff. de Iudiciis,* ubi dicitur, Iudicium solvitur, vetante eo, qui iudicare iusserat, vel etiam eo, qui maius Imperium in eadem iurisdicçãoe habet. *Abb. hic n. 1.* Vnde Episcopus quamlibet causam à Vicario suo Generali ad se avocare potest, ut ipse de ea cognoscat, ita, ut, si Vicarius postea aliquid circa illam decernat, id ipso iure sit irritum: nam, cum Episcopus Vicarium ad nutum omnino ab officio removeret, & omnem potestatem ei auferre possit; multò magis poterit quamlibet causam à Vicario ad suam cognitionem revocare. *Abb. hic n. 2. & Alexand. de Nevo num. 5.*

CLXXXV. Ubi præterea Notandum primò. Tunc solum Superior potest avocare ad se causam ab inferiore, si hic ab eo iurisdicçãoem accepit, ut Vicarius ab Episcopo, secundum Regulam traditam ab *Alexand. hic n. 7.* Nam conferens alteri iurisdicçãoem, sibi ipsi maiorem, & ampliorem reservasse censetur. Si verò Judex inferior, aut minus dignus à maiore, seu digniore iurisdicçãoem non accepit, sed ab alio, non potest maior, seu dignior ab illo ad se revocare iurisdicçãoem in causa aliqua. sic v. g. Magistratus civicus non potest causas pertinentes ad Rectores, seu Magistros officiorum ab iis ad se revocare, cum ij iurisdicçãoem, non à Magistratu civico, sed ab Imperatore habeant. *l. ult. C. de Iurisdicção. omn. judic. Alexand. c. l. n. 7.* Sic etiam Legatus à latere non potest ab Episcopo, vel Archiepiscopo, nec Episcopus à Prælato inferiore avocare causam aliquam ad se, sed est locus præventioni, ita, ut Judex inferior procedere possit in causa coram ipso cœpta, non obstante revocatione Superioris; quia ab illo non accepit iurisdicçãoem. *Alexand. hic n. 10. & 11.*

Notandum secundò. Per avocationem causæ à Superiore factam magis impeditur iurisdicção Judicis à quo, quam per appellationem; quia hæc consistit in jure, ita, ut, si legitima non sit, iurisdicçãoem Judicis à quo suspendere, eiusque processum impedire non possit. *cap. Cum appellationibus; §. h. r. in Sexto.* At verò avocatio causæ consistit in facto, quod pender à mera facultate, & voluntate Superioris avocantis; ideòque sive iusta sit, sive iniusta, suspenditur, imò omnino tollitur per illam iurisdicção inferioris Judicis. *Arg. l. Iudicium; § 8. ff. de judic. Abb. hic n. 3. & Alexand. n. 12. & duobus seqq.* Secundò. Avocatio causæ, cum sit odiosa, in dubio non præsumitur, sed exprimi debet, adeòque constare, quòd Superior causam ad se advocaverit; ut post *Innocent. in cap. Cum*

Tomus II.

*M. 9. in fine. de Constit. docet Alexand. hic n. 15. ubi tamen n. 16. addit: Si Papa inciperet cognoscere de causa, non valeret processus postea institutus in illa causa, coram inferiore; quia tunc ipso facto causam ad se advocat, etsi id verbis non expresserit. Tertio. Post avocationem causæ, Judex inferior non potest ullo modo in causa, seu negotio ulterius procedere; quia ea omnimodam prohibitionem continet, & ne in causa procedatur: at verò per appellationem interpositam non impeditur effectus consecutivus, seu connexus. *Arg. cap. Constitutis; 46. & cap. Pastoralis; § 3. §. Verum h. r.* Vnde si appellatio facta sit, post collationem beneficii, potest, eà non obstante, tradi eius possessio. *Abb. hic n. 4.**

CLXXXVI. Ceterum, ad officium Judicis à quo etiam pertinet, ut, si appellatus, sive adversarius, non tantum acceptet appellationem, sed etiam velit, ac petat, ut tota causa instructa ad Judicem appellationis mittatur, eòque partes per se, vel procuratorem idoneum accedant; tunc teneatur Judex à quo appellanti acta Judicii, seu copiam eorum judiciali suo sigillo obsignata exhibere, quæ ad Judicem appellationis deferantur. *l. 2. C. de edendo. quòd si Judex illa edere recuset, mandatis pœnalibus per Judicem appellationis ad id compelli potest; ut docet Gail lib. 1. bbs. 134. n. 1.* Sin autem appellatio ab appellato acceptata non sit, vel, etsi acceptata, non tamen petitum sit, ut causa in Curia Judicis appellationis agatur; tunc satis est, si appellans sine actis veniat, vel procuratorem mittat ad literas delegationis impetrandas. *cap. Nicolao; 64. cap. Interposita; 70. §. Eidem quoque h. r. Innocent. in cap. 1. V. Petierit post; n. 5. h. r. in Sexto.*

§. II.

Quod sit officium Judicis ad quem, & quomodo procedere possit, ac debeat?

CLXXXVII. Assertio 1. Judex, ad quem appellatum, debet appellationem ad se delatam admittere, de eius iustitia cognoscere, & si viderit, illam legitime fuisse interpositam, debet pronunciare, appellationem esse iustam, sive, malè iudicatum, bene appellatum esse: si verò viderit illam, esse indebitè, sive illegitimè factam, debet illam pronunciare iniustam, sive, bene iudicatum, malè appellatum esse. *l. Eos, qui; 6. C. h. r. Durand. in specul. lib. 2. part. 3. §. Quod sit officium eius, ad quem & c. in princ. & n. 1.* Ratio est; quia iudicare est munus publicum, cui renunciari non potest. *l. ult. §. Iudicandi. ff. de munerib. nec potest Judex, etsi ordinarius, à se abdicare onus iudicandi. l. pen. ff. de offic. Præsid. adeòque neque est in potestate Judicis ad quem appellationem arbitrato suo admittere, vel rejicere, sed ante omnia cognoscere debet, num iusta fuerit appellandi causa, propter illatum gravamen, extra, vel intra iudicium. *Abb. in cap. Accepta; 35. n. 1. h. r. Durand. c. l. in princ.**

CLXXXVIII. Assertio 2. Judex, ad quem appellatum, priusquam de causa, & iustitia appellationis cognoscat, per se, vel per alium non suspectum, non debet, nec potest causam appellationis examinandam remittere ad Judicem, à quo est appellatum,

K k k k

nisi

nisi pars, quæ appellavit, consentiat; prout statutum habetur in *cap. Accepta*; 35. h. r. in quo, secundum integram illius lectionem, talis casus proponitur: » Canonici Pampilonenses conquesti sunt apud Alexandrum III. contra Ducem Navarrorum, quod eos bonis suis spoliasset, qui ad petitionem eorum, causam hanc commisit Archiepiscopo Tarraconensi: sed postea intellexit Papa, eandem causam prius propositam, & agitatam fuisse coram eodem Archiepiscopo, & ab ipso Ducem appellasse ad Sedem Apostolicam. Quare Pontifex rescripsit, quoniam Canonici, in impetratione rescripti commissionis, tacuerunt hoc ipsum, quod si Papa cognitum fuisset, causam Archiepiscopo non commisisset; ideo illud subreptivè impetratum esse: quandoquidem non debet causa ad eos Judices remitti, à quibus est appellatum, nisi partes consentiant. Ratio decisionis est; quia, cum Judex à quo appellatum, antea gravasse dicatur, cum non appelleretur, nisi propter gravamen illatum, non debet eadem causa eidem denuo committi, vel ad eundem remitti; prout habetur etiam in *cap. Eos*; 6. C. h. r. quia præsumptio est, & periculum, ne iterum, & in posterum etiam gravet. *Gail lib. 1. obs. 131. num. 2.*

Porro, quando in *cit. cap. Accepta*, dicitur, quod causa appellationis non debeat remitti ad Judicem, à quo est appellatum, nisi partes consenserint, ibi accipitur numerus pluralis pro singulari; quia non obstante contradictione alterius partis, sive appellati, potest appellans redire ad priorem Judicem à quo; ut notat *Glos. ibid. V. Nisi partes*. id est, pars appellans: nam mutatio numeri pluralis in singularem fieri debet, quando aliàs sequeretur sensus absurdus, vel juri contrarius; ut tradit *Abb. ibid. num. 3.* sicut etiam, quando est eadem ratio in uno, quæ est in pluribus; tunc lex, vel statutum loquens de pluribus, habet locum etiam in uno, vel loquens in plurali habet locum in singulari; ut ex Rebuffo notat *Barb. in Collect. in cit. cap. Accepta*; n. 2. h. r.

CLXXXIX. Extenditur autem tradita doctrina, quod etiam casu, quo Judex à quo successit in locum Judicis ad quem defuncti, vel ab ipso depositi, non possit de causa, & iustitia appellationis cognoscere, si altera pars adversa repugnet; sed opus erit, ut alij personæ non suspectæ causam deleget; ut tradit *Glos. ferme communiter recepta in l. Eos*; 6. V. *Provocatum*; junctâ *Glos. margin. lit. D. C. h. r.* sicut nec Advocatus, si postea assumatur in Judicem, vel Assessorem, potest in eadem causa judicare, & sententiam ferre, in qua prius Advocatus fuit. *cap. Postremo*; 36. h. r. & l. *Prætor*; 17. junctâ *Glos. V. Susceptæ. ff. de jurish. & l. ult. C. de Assessoribus.*

CXC. Prædicta autem assertio, quod causa appellationis non debeat remitti ad eum, à quo est appellatum, limitari debet, nisi appellans, re adhuc integrâ, videlicet antequam Judex ad quem causam cognoscere cœpit, vel eius cognitionem alteri delegavit, petat, ut ea remittatur ad Judicem, à quo provocavit: adeoque appellationi renunciaret: tunc enim jure fit remissio, tamen altera pars adversa, sive appellatus contradicat, ita tamen, ut appellans ad expensas solvendas adversario condemnari debeat; prout statuitur in *cap. Interposita*; 70. §. *Ille denique. h. r. & in l. Siquis*; 28. C. eod.

Ratio est; quia, quod à Judice, à quo aliquis appellavit, non debeat fieri remissio ad eundem, primo constat, malè esse appellatum, id statutum fuisse in favorem appellantis tantum, qui proinde bene pro se introducto potest renunciare: neque appellatus, sive adversarius contradicere potest; quia jurem, à quo appellatum, suspectum habere non potest, quippe, qui pro eo tulit sententiam, & cum ipsum per hoc approbaverit, non potest ipsum reprobare. *Glos. in cit. §. Ille denique. V. Contradictione* condemnatur tamen appellans adversario in expensas tanquam contumax; quia, qui appellationem intra debitum tempus, non prosequitur, censetur consentire appellasse, & malitiosè traxisse adversarium ad Judicem appellationis: & qui ab appellatione sponte recedit, perinde est, ac si ipse non fuisset appellatum prosecutus, altero prosequente: ideoque condemnari debet in expensas. *cap. Reprehensibilis*; 14. h. r. *Gl. in cit. §. Ille denique. V. Eodem.*

CXCI. Ex quo inferitur, quod ad hoc, ut remissio causæ appellationis, priusquam constiterit appellatum esse, fieri possit ad Judicem à quo, hoc, sive sine condemnatione in expensas, requiratur consensus utriusque partis, tam appellantis, quam appellatæ, & sic intelligi etiam posse *cit. cap. Accepta* conformiter litteræ illius textûs, ubi in plurali dicitur, nisi partes consenserint, tradit *Abb. ibid. num. 3.* Si verò interveniat consensus appellantis tantum, tunc remissio causæ ad priorem Judicem à quo, non quidem fit, etiam invito appellato; sed appellans condemnatur ei in expensas, juxta *cit. cap. Interposita*, §. *Ille denique.*

Prædictis addendum, Tamen si appellans post readhuc integrâ, appellationi suæ renunciare, l. *Siquis*; 28. C. h. r. & *cap. Ut super*; 4. *Eodem in Sen. ita* tamen, ut parti adversæ expensas, si quas pro interpositam appellationem fecit, restituat, ut dictum: si tamen res non sit integra, & adversarius ceperit appellationem; tunc non potest appellans ea recedere, in præjudicium adversarij, & invito appellato; quia appellatio censetur utrique parti hæc esse communis: sed si utriusque consensus interveniat, & res adhuc sit integra; tunc ab appellatione recedi poterit. *Abb. in cit. §. Ille denique*; n. 4. *Ab Alexand. ibid. n. 2.*

CXCII. Assertio 3. Si Judex appellationem intelligat, & pronunciet, malè judicatum, & bene appellatum esse, tunc non debet causam remittere ad Judicem, à quo appellatum, sed ipsemet causam priorem ad se devolutam cognoscere, & definite debet, ut constat ex *c. Ut debitus*; 59. *in fine. & ibi Gl. V. Siquis*; & dictum supra n. 113. h. r. si verò intelligat, tunc causam debet remittere ad Judicem à quo, tunc demando appellantem in expensas. *cit. cap. Ut debitus*; & *ibi Gl. V. Eodem.* Idque locum habet, si appellatur ab interlocutoria, sive à gravamine ante sententiam definitivam. Si verò appelleretur à sententia definitiva, tunc Judex, ad quem appellatum, debet cognoscere meritis causæ, & videre, utrum bene, an malè iudicatum sit à priore Judice: & si reperiat bene iudicatum, adeoque malè appellatum esse, sententia prius lata confirmabit: si verò cognoscat, malè iudicatum, tunc priorem sententiam cassabit, sive iniustam pronunciet.

juxta l. Eos; 6. C. h. t. ubi dicitur, quod Iudex, qui de appellatione cognoscit, sententiam (à qua appellatum) tantum iustam, vel iniustam pronunciare debet. *Gl. in cit. cap. Ut debitus. V. Alioquin.* ubi etiam addit, si sententia lata à priore Iudice plura capitula, sive plures articulos habeat, quòd Iudex appellationis pro parte potest eam confirmare, & pro parte cassare, & reformare, prout iustum fuerit. *Arg. cap. Raynaldus; 16. & cap. Raynaldus; 18. de restam.*

CXCIII. Hinc infertur: sive appelletur à gravamine, ante sententiam, sive à sententia definitiva, si constiterit, appellationem legitimam non esse, sed frivola. Iudex appellationis procedere in causa ulterius non debet, sed appellatam remittere ad Iudicem à quo, præcipiendo, ut non obstanti tali appellatione, ipsi obtemperet; prout deciditur in *cap. Cum in Ecclesia; 38. h. t.* Nam, cum quidam Clerici Iudicium Episcopi sui, sine causa rationabili, detrectantes, ad Archiepiscopum provocassent: hoc intellecto, Clemens III. mandavit, ut Archiepiscopus Clericorum appellationes à suis Episcopis non prius admitrat, quam cognoverit, eas factas esse à gravamine (expresso in appellatione, cum aliàs non valeat appellatio, ante sententiam. *cap. Ut debitus; 59. h. t. Gl. hic V. de gravamine.*) vel ab iniusta sententia condemnatoria (quando scilicet appellatur à sententia definitiva: tunc enim non est necesse causam exprimere. *Glos. hic V. Ab iniusta condemnatione,* & dictum supra) alioquin appellatam ad Episcopum remittat, ut remota appellatione, eius Iudicio pareat; quia Archiepiscopus non habet Iurisdictionem in subditos Suffraganeorum suorum, nisi in certis casibus. *cap. Pastoralis; 11. de offic. ordin. Porro, Iudex à quo, videlicet Episcopus procedet in causa, quando appellatum fuit à gravamine, vel exequetur sententiam definitivam, quam Iudex ad quem, sive Archiepiscopus confirmavit. Gl. hic V. Alioquin.* Verum an executio sententiæ confirmata à Iudice appellationis competat Iudici à quo, an verò Iudici ad quem, dictum est *in præced. num. 98. in fine.* Quamquam paulo aliter distinguat *Abb. in cit. cap. Cum in Ecclesia; n. 8.*

CXCIV. Ceterum, quod supra dictum est, si Iudex appellationis pronunciet, bene iudicatum, & malè appellatum esse, debeat causam remittere ad Iudicem à quo, & appellatam condemnare in expensas, juxta *cap. Ut debitus; 59. h. t.* id limitandum est: nisi Iudex à quo detulerit appellationi, etsi iniquæ, & frivola, quæ interposita est ante sententiam: tunc enim non tenetur Iudex appellationis causam remittere, quamvis possit, si velit; prout constat ex *cap. Cum appellationibus; 5. h. t. in Sexto.* Ubi statuitur: Si Iudex inferior (à quo appellatum fuit, ante sententiam definitivam) appellationem non admittat, quòd legitima non sit (quandoquidem frivolis appellationibus, nec iustitia deferat, nec à iudice sit deferendum) appellans verò nihilominus eam prosequatur: tum Iudex Superior (ad quem appellatum fuit) si cognoverit, malè appellatum esse, remittere debet causam ad priorem Iudicem, juxta *Canonicas Sanctiones (cap. Ut debitus; 59. h. t. & cap. Romana; 3. §. in eodem in Sexto)* atque appellatam eadem die (in qua contra ipsum pronunciatum fuit) ad expensas condemnare. Si verò Iudex à quo appellati frivola, seu illegitimè detulit, eamque admittit, tum, etsi illegitima sit, adeòque Iudex Superior, tam appellationem, quippe illegitimam, quam delationem factam à Iudice inferiore, qui ei non rectè detulit, possit refutare, seu rejicere; quia tamen ipse Iudex à quo, quantum in se fuit, Iurisdictionem in illa causa à se abdicavit, appellationi illegitimæ deferendo; ideo totius causæ (etiam principalis) decisio ad Iudicem superiorem, sive appellationis est devoluta, ita, ut ea ad priorem Iudicem non sit necessariò remittenda (quamvis possit remittere, si velit. *Glos. hic V. Remittenda.*) Hæc autem intelligi debent de appellatione facta ante sententiam, non autem de appellatione interposita post sententiam definitivam, in qua servanda sunt Iura antiqua.

CXCV. Notandum primò. Iudex à quo non debet deferre appellationi frivola, qualis est, quæ interponitur, nullà causâ expressâ, vel ex causa irrationabili, seu non legitimâ, vel legitimâ quidem, sed manifestè falsâ. *Glos. hic in notatis, & Franc. ibid. n. 1. & meritò quidem; quia appellatio non est inventa, ut sit defensio iniquitatis, sed innocentia præsidium. cap. Ad nostram; 3. h. t. Gl. hic V. Deferendum.* sufficit autem dicere Iudicem à quo: Non admitto hanc appellationem: licet in specie non exprimat causam, cur sit frivola, seu frustratoria. *Franc. hic n. 1. not. 2.*

Notandum secundò. Cum Iudex appellationis pronunciat, bene iudicatum, & malè appellatum, debet remittere causam principalem ad Iudicem à quo; quia iniuriam facit Iudici, qui ante sententiam frustratoriè ab eo appellat, & ubi cœptum est Iudicium, ibi & finem accipere debet, si ab eo licitè non recedatur, seu temere provocetur. *l. Ubi; 30. ff. de Iudic. Papa tamen, licet pronunciet, bene iudicatum, & malè appellatum, potest retinere causam principalem, & de ea cognoscere. Gl. magna hic in notatis.* idque ob prærogativam dignitatis.

Notandum tertio. Licet appellatio non sit admittenda per Iudicem à quo, non ideo tamen tollitur appellanti potestas prosequendi appellationem, *cap. Sepe; 44. h. t.* sed tunc pertinet ad Iudicem ad quem cognoscere, num appellatio sit legitima, an frivola, & si eam repererit esse illegitimam, debet causam remittere ad Iudicem à quo. *Franc. hic n. 2. not. 3. & appellatam in expensas condemnare, tempore prolationis sententiæ, vel saltem eadem die; quia expensæ litis non petuntur, nisi officio Iudicis mercenario, quod actioni deservit, & non potest implorari, nisi durante causâ, & in eadem instantia; adeòque condemnatio in expensas debet fieri, saltem eadem die, quâ sententia lata est: ea enim, quæ sententiam comitantur, eadem die, quâ causa principalis, expediri debent, sicut fructus, & expensæ. Gl. magna hic in notatis. & V. Eadem die.*

Notandum quartò. Iudex appellationis potest repellere appellationem frivola, seu frustratoriã, & remittere causam principalem ad Iudicem à quo, etiam illo, & partibus invitis; ut colligitur ex hoc *cap. idq; procedit, sive Iudex à quo fuerit ordinarius, sive delegatus. Franc. hic. §. Si verò; n. 1. not. 1. & 2.* quia quilibet Iudex indistinctè abdicat à se Iurisdictionem, ita, ut deferendo appellationi etiam frivola ab interlocutoria sententia, devolvatur Iurdictio, & eius exercitium

citium super tota causa principali ad Judicem Superiorem, ut de eius meritis cognoscere possit. *Franc. hic cit. §. Si verò not. 2. & 3.*

CXCVI. Notandum quintò. Si Judex à quo detulit appellationi frivola, seu frustratoria, & Judex ad quem causam ad illum remisit; tunc inferior Judex, non obstante eo, quòd tali appellationi detulerit, potest causam principalem cognoscere, ex vi prioris Jurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, quam prius habebat, sine nova concessione, vel delegacione; ut tradit *Gl. hic V. Refutari*: imò æquum est, ut remittatur causa ad priorem Judicem à quo, si is appellationi frivola detulit, propter reverentiam Judicis superioris. *Franc. hic in cit. §. Si verò; n. 2.* quamvis hoc casu opus sit, ut expressa remissio fiat à Judice appellationis ad Judicem à quo, per quam illius Jurisdictionis per delationem appellationis abdicata, quoad exercitium, quodammodo reviviscat, & resuscitetur: quæ tamen expressa remissio non requiritur, quando appellationi non est delatum; quia eo ipso, quòd Judex appellationis pronunciat, bene judicatum, & malè appellatum; potestas cognoscendi de causa principali redit ad Judicem à quo; ut tradit *Gail lib. 7. obs. 131. n. 3. & 4.*

Notandum sextò. Etsi Judex à quo indebitè deferens appellationi frivola, non possit petere, ut causa ad se remittatur: tamen partes, videlicet appellans, aut etiam appellatus, possunt redire ad Judicem, qui detulit, re adhuc integrâ, id est, antequam Judex ad quem causam cognoscere cœpit, vel alteri delegavit; cum possint appellationi renunciare, etiam post delationem à Judice à quo factam: & licet deferens, quoad se, abdicet Jurisdictionem, non tamen abdicat in totum; ideòque eam reassumere potest ex facto partium, sicut si causa ad ipsum remittatur à Judice ad quem. *Ioan. Monach. hic n. 4. & duobus seqq. Anchar. hic q. 2. Franc. ibid. §. Si verò; num. 5. ubi ait, non obstat textus in cap. Significantibus; 38. de offic. deleg. quia ibi per pronunciationem Judicis abdicatio jurisdictionis in totum est facta, non autem hic.*

Notandum septimò. Prædicta intelligi debent de appellatione ante sententiam factâ, non autem de appellatione post sententiam definitivam; ut habetur in fine huius cap. per quam liti absolute finis imponitur; ideòque nomine sententiæ, si nihil addatur, intelligitur definitiva, tanquam principalis. *Franc. hic n. 3.* in hac autem servanda sunt jura antiqua: ac proinde, tamen si Judex à quo detulerit appellationi, si ve legitimæ, si ve frivola à definitiva; si tamen appellationis justificata non sit, si ve si Judex ad quem cognoverit, bene judicatum, & malè appellatum esse; tunc executionem sententiæ relinquere debet Judici à quo; ut docet *Ioan. Andr. in cap. Postoralis; 28. §. Præterea; de offic. Iudic. deleg. n. 28. & alii. quamvis Gl. ibid. V. Dissensa; in fine, velit, quòd Judex secundus, si ve appellationis debeat exequi, de quo supra actum. Ratio autem, cur aliud statutum sit in appellatione ab interlocutoria, ante sententiam definitivam, & post illam, traditur à *Gl. hic V. Statuta*; quia Judex à quo appellationi post sententiam definitivam rectè deferre potest, etiam si postea sententia ipsius reformetur à Judice appellationis: nam fieri potest, ut ipse justè iudicavit, & pronunciarit,*

secundum allegata, & probata coram ipso, & tunc postea justè contrarium pronunciet Judex appellatus, propter probationes de novo emergentes, & adductas: at verò appellatio ab interlocutoria, ante sententiam definitivam, solum fit propter inultum evanescens prioris Judicis: ergo, si is huic deferat, quavis eam frivola, & irrationabilem cognoscit, non præiudicat, & totius causæ cognitio deferatur ad Superiorem Judicem.

CXCVII. Præterea, quod dictum est, Judicem ad quem non posse causam, à qua appellatum, remittere ad Judicem, à quo bene, & legitimè appellatum est, vel ei committere, id limitari debet: nisi Papa, vel alius Princeps, seu Judex supremus, ex certa scientia, Judici, à quo bene appellatum est, ab interlocutoria, si ve à questione incidente, postquam causa discussa est, remittat, vel committat ipsam causam principalem: id enim facere potest; quia citata lex lxxv. prohibens loquitur de appellatione, quæ fit à sententia definitiva, non autem ab interlocutoria. *Gl. in cit. l. Eos. V. Decisum. C. h. 1.*

CXCVIII. Assertio 4. Si lis in prima instantia sit contestata, & post illam fuerit appellatum; altera verò pars conventa, in secunda instantia, in causa appellationis sit contumaciter abiens; cum Judex appellationis, etiam in causa principali, post ad sententiam definitivam procedere, eamque definire, modò de meritis causæ ei constet; prout dicitur in cap. Per rursus; 58. h. 1. Nam, cum quædam fuisset ex Innocentio III. utrùm, si post latam sententiam definitivam, vel saltem post publicationem testimonii, appellatum sit ad Sedem Apostolicam (vel alium Judicem Superiorem) atque causa delegata sit Judicibus; altera verò pars coram his delegatis comparere nolit, nihilominus iidem Judices causam sibi commissam definire possint: Respondit Papa, cum lis super eadem causa, coram prioris Judice à quo, vel primis Judicibus (si plures fuerint) legitimè contestata fuerit; ideo Judices delegatos, si de meritis causæ ipsis liqueat, per sententiam latam eam definire posse; etiam si ab eis, qui convenitur; quia per contumaciam se absentat.

CXCIX. Pro intellectu huius cap. Notandum primò. Effectus litis contestationis factæ, in prima instantia, seu causâ principali, coram Judice à quo, non tollitur per sententiam definitivam, & tunc ab ea appellationem; sed extendere se potest etiam ad causam appellationis: ac proinde exceptiones dilatorias, quæ post litem contestatam, non possunt opponi in prima instantia, seu in causa principali, in causa appellationis opponi possunt. Ita dicitur in C. de procurat. Abb. hien. 1. & Alexand. de Novo ibid. num. 2. & 3. Porro, cum dicitur, quòd appellatio reponit appellansem in pristinum statum, id intelligi debet, quòd reponat in eum statum, qui erat tempore litis contestatæ, non autem ante litem contestatam. Item, quòd non deductum, vel omnimodò causa principali possit deduci in causa appellationis, similiter intelligendum est in ijs, quæ post litem contestatam, non autem ante: nisi tamen exceptio dilatoria, vel declinatoria non scienter, & ignoranter fuisset omissa, ante litem contestatam: tunc enim posset opponi, etiam in causa appellationis. *Alexand. hic n. 4.*

Notandum secundò. Dispositio huius c. vendicat sibi locum, non solum, quando appellatur, post publicatas attestaciones, sed etiam, quandocunque fuerit appellatum, post litem contestationem, coram primis Iudicibus; quia ratio legis non restringitur per exemplum positum in lege; sed per illam ampliat lex ad omnem casum, in quo ratio legis locum habet. *Abb. hic n. 1. not. 2.*

Notandum tertio. Si utraque pars sit præsens, tum litem contestatio denuo fieri debet in causa appellationis, quando appellatur à sententia definitiva; ut colligitur ex hoc c. per sensum contrarium, ibi: *Et qui convenitur, se per contumaciam absentante, & tradit Gl. recepta in c. Reynaldus 18. V. Contestata; de testam. si verò altera pars sit absens; tum potest procedi ad definitivam, etiam sine litem contestatione; quippe quæ jam facta fuit in prima instantia. Abb. hic n. 2. § 4.* Verùm quòd, quando jam appellatum est à definitiva, sive utraque pars præsens sit, sive altera absens, non sit necessaria litem contestatio, etiam in causa appellationis, modò in prima instantia facta sit, ex decisione Rotæ Rom. tradit *Mynsing. cent. 1. obs. 1.* quia effectus litem contestationis durat post sententiam, nec per illam extinguitur, vel suspenditur, quamvis hodie in praxi, in omnibus causis ad Cameram Imperialem devolutis, litem contestatio requiratur, sive ab interlocutoria, sive à definitiva sit appellatum, teste *Mynsing. c. l.*

Notandum quartò. Ad hoc, ut in causa appellationis possit ferri sententia, lite denuo non contestatà, Reus conveniendus debet citari, & in contumacia constitui; ut contra eum absentem procedi possit, ut docet *Gl. in c. Oblata; § 7. V. Prosequi h. t.* nisi tamen terminus à Iudice, vel appellante statutus fuisset ad prosequendam appellationem, & ab appellato acceptatus: tunc enim alia citatio non requiritur; quia terminus ille habet vim peremptorii. *Alex. hic n. 7.* Debet tamen Iudex, quando procedit contra absentem, supplere defectum illius ex officio, inquirendo jura, quæ pro ipso sunt, vel respondendo legi contra eum productæ. *l. Ampliorum; 39. § ibi Gl. V. Adimplere; C. h. t. Abb. hic n. 8.*

CC. Assertio quinta. Si quis appellavit à gravamine Iudicis, illudque coram Iudice ad quem probare paratus est, sed pars adversa contumaciter se absentat, hoc casu, Iudex appellationis procedere potest, & cognoscere; tametsi lis nondum contestata sit in articulo appellationis, vel etiam in causa principali; quia, cum in tali casu principaliter agatur de iniquitate prioris Iudicis remota, rigor juris (qui requirit, ut non procedatur in causa, lite non contestatà) non est servandus, ex quo sequi posset causæ perplexitas; prout statuitur in *c. Interposita; 70. §. Sanè; h. t.* Et sic novus casus hic habetur, in quo potest procedi, absente adversario, etiam si lis non sit contestata, si nimirum appelletur ab interlocutoria, sive à gravamine à Iudice inferiore illato. Ratio est; quia, cum tunc non agatur de ipsa causa principali, vel de facto adversarii; adeoque ipsius non multùm intersit, sed principaliter de iniquitate prioris Iudicis, idcirco æquum fuit; ut de hac cognoscatur, non obstante absentia adversarii. *Gl. in cit. §. Sanè; V. Lite non contestatà; ubi tamen addit: si utraque pars esset præsens; tunc esset*

etiam in causa appellationis litem contestatio faciendâ; ut colligitur ex verbis textus ibi: *parte adversâ se contumaciter absentante.*

CCI. Porro perplexitas causæ, quæ sequi posset, & de qua in textu fit mentio, in eo consistit, quòd, si non possit cognosci de gravamine illato à Iudice, lite non contestatà, nec poterit Iudex appellationis se ingerere in causa principali; cum non constet adhuc, utrùm appellatio sit legitima, necne: si autem fortè non esset legitime appellatum, cognitio causæ principalis non esset ad Iudicem superiorem devoluta. Ut ergo hæc perplexitas evitetur, potest Iudex appellationis cognoscere de hoc gravamine, etiam lite non contestatà: quo probato, illud revocabitur, & postea Iudex ad quem citabit adversarium absentem, & si citatus non venerit, procedet contra ipsum tanquam contumacem: si verò appellatio fuit illegitima, causa remittetur ad Iudicem, à quo appellatum est. *Gl. in cit. §. Sanè. V. Rigor juris.* Ubi tamen præterea notandum; ut adversarius absens censetur constitui in contumacia, quòd requiritur, ut contra ipsum procedi possit, lite non contestatà, debet citari ab homine, seu à Iudice, vel à iure, ut in *c. 1. de elect. in Sexto.* vel præfixi ipsi terminus ad appellationem prosequendam, juxta *c. Saepè; 44. h. t.* intra quem, si non compareat, potest Iudex ad quem procedere in causa appellationis contra ipsum tanquam contumacem, etiam lite non contestatà. *Abb. in cit. c. Sanè; n. 2. § Alex. n. 7.*

S. III.

Cui incumbat, seu imponi debeat à Iudice onus probandi in causa appellationis?

CCII. Assertio prima. Quòd attinet ad præparatoria Iudicii, seu processus appellationis, appellans coram Iudice ad quem, probare debet tria, videlicet se appellasse, & quidem tempore legitimo, nempe intra X. dies à sententia lata, vel gravamine illato; & ex causa rationabili, tali scilicet, quæ si probata fuerit, iusta declarabitur, juxta *c. Ut debitis; 59. h. t. Alexand. in c. Cum in Ecclesia; 38. n. 5. h. t.* ubi addit, ex *Io Andr.* quòd appellans tenetur producere appellationem, & ipsam sententiam, à qua appellavit, neque, antequam hæc ostensa sunt, causa devolvitur ad Iudicem ad quem; quia, cum appellans dicat, se legitime appellasse, debet probare intentionem suam, cum solennitas extrinseca non præsumatur. *Francus in c. Romana; 3. §. Si verò; n. 2. h. t. in Sexto.* Similiter & procurator, in causa appellationis, tenetur probare mandatum suum, & cavere de rato. *Alex. in c. Per tuas; 58. n. 22. h. t.* Quòd verò attinet ad processum Iudicii, si pars altera, sive Reus dicat, aliquid omisum esse, v. g. se non esse citatum, vel sententiam latam fuisse, sine causæ cognitione; tum id probari debet ex Actorum inspectione, quæ Iudex inspiciat, juxta *l. 2. C. De edendo.* Quòd denique spectat ad merita causæ principalis, is, qui in prima instantia Iudicii directè per testes, vel instrumenta debuit probare, idem quoque, in secunda, seu

appellationis instantia, debet producere probationes, siue novas, siue ex prioribus actis depromptas. *Bart. in l. Hi qui; 7. n. 4. C. h. t. Abb. in cit. c. Per Tuas; n. 6. & Alex. n. 22. in 4. & 5. casu h. t.*

CCIII. Assertio secunda. Si quis coram Judice litigans causam probabilem (quæ, si probetur, legitima censeri debet. *c. Ut debitus; 59. h. t.*) allegaret, ob quam respondere non teneretur; sed, quia Judex eam exceptionem admittere noluit, appellavit: hoc casu, non sufficit, si appellans coram Judice ad quem probet, se appellasse, allegatâ causâ probabili, sed debet etiam probare, illam esse veram: præterquam, si is ipse, coram Judice à quo se obtulit ad probandam veritatem causæ, & admissus non fuit: tunc enim non tenetur coram Judice appellationis probare, causam veram fuisse, sed satis est probare, se appellasse, allegatâ causâ probabili, & obtulisse se ad probandum, illam esse veram, non tamen admissum fuisse; ideoque appellasse; prout deciditur in *c. Interposita; 70. in princ. h. t. & ibi Gl. in casu.*

Ratio decisionis est; quia ex eo solum, quod à Judice rejiciatur exceptio probabilis, non necessario inferitur, gravamen parti litiganti illatum esse, neque justificata est appellatio à gravamine: fieri enim poterit; ut ea exceptio, siue causa allegata in se quidem sit legitima, & tamen falsa; ut si quis v. g. excipiat contra Actorem, quod sit excommunicatus, qui tamen non est: tunc enim excipitur causa protrahendi Judicium, & vexandi adversarium; ideoque interpositâ appellatione ex causa probabili, non sufficit, si appellans probet, quod ex huiusmodi causa appellaverit, nisi etiam probet, eam esse veram. At verò, quando quis obtulit se ad probandum incontinenti, vel saltem post modicum, seu breve intervallum, causam allegatam esse veram; tunc purgatur omnis præsumptio, quæ poterat esse, quod ad protrahendum Judicium causa illa ab appellante malitiosè fuerit allegata, cum in mora modici temporis non sit periculum. *l. Si debitor; 21. ff. De Judiciis; & quia Judex inferior huiusmodi oblatam probationem non admittens, ipso facto ostendit suam iniquitatem, & apparet, quod Judex injustè excipientem graver; ideo ad justificandam appellationem sufficit, si appellans probet, quod à Judice non sit admissus ad probandum in continenti, veram esse allegatam causam gravaminis, licet modò illius causæ veritatem probare nolit. *Abb. hic n. 4.**

CCIV. Ceterum, quod dictum est, Judicem gravare, & appellationem esse justificatam, si objiciens exceptionem offerat se ad probandam eius veritatem, & à Judice non admittatur, juxta *c. Ex parte; 7. de restib.* id limitandum est primò, in appellatione extrajudiciali, si interponatur à parte, vel à Judice extrajudicialiter procedente: nam pars non tenetur recipere exceptiones alterius partis, cum non sit Judex, ac proinde hoc casu cessat ratio, ob quam oblatio probationis justificat appellationem; quia scilicet ostendit iniquitatem Judicis nolentis recipere probationem legitimæ exceptionis, juxta officium suum: tunc autem non adest Judex, cui ex officio incumbat recipere probationes, cum procedat extra Judicium, tanquam pars: non enim potest esse Judex in causa propria. *Abb. in cit. c. Interposita; in princ.*

n. 5. Alex. ibid. n. 19. Secundò, excipi debet, si offeratur probatio in absentia Judicis, cuius copiam haberi non potest: tunc enim cessat præsumptio, quod Judex à quo injustè gravet, non recipiendo probationem oblatam, cum absens recipere non possit. *Abb. c. l.* Tertio limitatur, si offeratur probatio contra evidentiam rei; ut, si quis velit probare, Titium vivere, de quo notoriè constat, illum esse mortuum: nam Judex non debet permittere, ut notoria in Judicium deducantur: evidentia enim rei, & præsumptionem ortam ex reiectione oblatæ probationis: ideoque tunc ad justificandam appellationem requiritur, ut probetur veritas ipsius rei. *Abb. c. l. 6.* sicut contra, si notorium sit, exceptionem propositam esse veram, probatione opus non est, vel præsumptio sit pro excipiente. *c. 2. de restib. in princ. & Gl. in Sexto.* Quarto limitatur, si offeratur probatio exceptionis eo tempore, quo Judex non obligatur ea recipere, juxta *c. Ex parte; de restib. Abb. c. l. n. 6.* plures limitationes assertit *Alex. c. l. n. 13. & 21.*

Porro oblatio probationis facta ab appellante justificat appellationem in ordine ad hoc, quod causa devolvatur ad Judicem ad quem, non autem, quia exceptio habeatur pro demonstrata, in præjudicium partis adversæ, cui iniquitas Judicis nocere non debet: nemo enim debet alterius odio gravari. *de jur. 22. in Sexto. Abb. c. l. n. 6.* utrum vero ad justificandam appellationem requiratur oblatio testium, ut appellans actu offerat testes, vel instrumenta iudici: an vero sufficiat oblatio verbalis, ut, si simpliciter dicat: Offero me probaturum hanc exceptionem, dubium est inter DD. de quo videri potest. *Abb. n. 7. & Alex. n. 9. & seqq.*

§. IV.

An, & quando Judex appellatio procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel habere Iudici à quo, ne procedat in causa, & ne sententiam exequatur?

CCV. Assertio prima. Si ab aliquo ex Coepiscopo, seu Suffraganeis, vel eius Officiali, seu Vicario Generali appellatum fuerit ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum (idemque est, si ab inferiore Prælato ad Episcopum appellatur, vel ab Episcopo inferiori ad Superiorem) ipse Archiepiscopus, vel eius Officialis, non debet in causa interpositæ appellationis, ante sententiam definitivam citare partes, neque causam alteri committere, nisi causa probabilis, seu legitima eiusdem appellationis sit expressa; prout statuitur in *c. Romanus; 3. de cum autem; h. t. in Sexto.* Ratio est, quia appellatio ab interlocutoria, vel gravamine, ante sententiam definitivam, fieri non potest, nisi causa probandi appellandi exprimat, quæ, si probata fuerit, legitima censetur. *c. Ut debitus; 59. h. t. & c. l. n. 6. in Sexto.* quamvis in appellatione à definitivam

à quo, nisi prius constet, quòd ad eum causa sit devoluta, per appellationem ex probabili, ac legitima causa interpositam, & tunc admittà appellatione, debet cognoscere, an causa in appellatione expressa sit etiam vera, & postea, si repererit, esse veram, potest Judici à quo inhibere, ne procedat, & non antè; ut ex decisione Rotæ Romanæ tradit Franc. hic in cit. §. Quòd si obijciatur; n. 2. h. 1. in Sexto.

CCX. Assertio quarta. Si dicatur, post sententiam definitivam appellatum fuisse in casu à jure prohibito, v. g. super crimine manifesto, & notorio (per evidentiam facti) vel de quo in Iure, sive Judicio quis confessus est, vel in alio consimili casu (in quo de jure non admittitur appellatio) tum potest Archiepiscopus (vel alius Judex, ad quem appellatum est) postquam cognoscere cœpit, utrum appellatio sit recipienda, necne inhibere Judici à quo, ne sententiam mandet executioni; prout statutum est in cit. c. Romana. §. Si autem; h. 1. in Sexto.

CCXI. Notandum primò. Quando allegatur post sententiam definitivam appellationem esse interpositam in casu à jure prohibito, & tamen de hoc non constat, sed dubitatur; ut, si v. g. crimen in Judicio confessus allegat, se metu tormentorum ad actum confessum esse crimen: tum Judex ad quem appellationem recipere, & ante omnia de veritate causæ cognoscere potest, ac debet; & tunc primò, postquam videlicet cognoscere incipit, num causa principalis ad ipsum sit devoluta, sive utrum appellationem contra sententiam definitivam admittere debeat, inhibere potest Judici à quo eius executionem. Si verò constet, appellationem interpositam fuisse in casu jure prohibito; adeoque illam fuisse illegitimam, & frivolum; tunc nec Judex à quo ei deferre, nec Judex ad quem eam recipere, & consequenter neque inhibere debet Judici à quo executionem sententiæ; ut tradit Franc. in cit. §. Si autem; num. 2.

Notandum secundò. Si appellatum sit à sententia definitiva in casu jure non prohibito, hoc ipso, quòd constat, appellatum esse intra debitum tempus, statim Judex appellationis, absque prævia cognitione, an appellatio sit recipienda, qua aliàs fieri debet, juxta cit. §. Si verò; potest inhibere Judici à quo, ne sententiam exequatur. Gl. in cit. §. Si autem. V. Prohibitis; & Franc. ibid. n. 2. in Gl. V. Eodem.

Notandum tertio. Etiam in casibus, in quibus appellatio à jure prohibita est, nihilominus ea est admittenda, si causa justa, seu rationabilis fuerit expressa in appellatione; ut, si v. g. confessus crimen in Iudicio dicat, se metu tormentorum, vel per errorem confessum esse. Gl. in cit. §. Si autem. V. Mandatur. Covarr. pract. qq. c. 23. n. 5. in 2. conclus. ubi ait, quòd, etsi confessus tantum, etiam si convictus non sit, regulariter nec in criminalibus, nec in civilibus admittitur ad appellandum, c. Cum speciali; 61. §. Porro, h. 1. si tamen expressa sit causa in appellatione, quæ illam justificat; tunc etiam à confessio tantum admittenda est appellatio, & suspendenda sententiæ executio. Ex quo infertur, quòd, licet in appellatione à definitiva non sit exprimenda causa, ob quam appellatur. c. 1. §. His quæ; & ibi Gl. V. Statuit; h. 1. in Sexto, ea tamen debet exprimi, quando appellatur

in casibus à jure prohibitis; alioquin neque Index quo deferre tali appellationi, neque Index ad quem eam admittere potest: sicut etiam exprimi debet, quando appellatio prohibetur ab homine; quia causa commissa est, appellatione remotâ. Franc. in cit. h. 1. in Sexto.

CCXII. Assertio quinta. Si appellatum sit ad Archiepiscopum (vel alium Iudicem Superiorem) etsi is inhibere possit Judici à quo, & partibus (videlicet appellanti, & appellato) ne quid innovent, vel, ut nihil attentent circa rem controversam inter partes; non tamen potest inhibicionem facere, vel jurisdictionem in aliam personam tertiam, cum qua lis non est, exercere; prout statutum est in cit. c. Romana. §. In alium; h. 1. in Sexto. v. g. si sententia lata sit contra Titium, à qua appellavit, sed postea tertius quidam intulit Titio violentiam aliquam, circa rem controversam inter appellantem, & appellatum, is non coram Iudice appellationis, sed coram Iudice suo immediato conquiri debet. Gl. in cit. §. In alium in casibus; & V. An Ratio est; quia res inter alios acta aliis non preiudicat. c. Cum super; 17. in fine de sent. & re judic. Et regula illa: pendente appellatione, nihil esse innovandum: debet referri ad Iudicem à quo, & personam litigantes, non ad aliam personam tertiam. A. C. 60. in princ. junct. Gl. V. Post. ff. Mandati. Anchar. in cit. c. Romana; not. 12. h. 1.

Quare Iudex appellationis tertium istum nec citare, nec alium actum jurisdictionis erga ipsum exercere potest, cum nullam in eum potestatem habeat, nisi ille tertius ipsius jurisdictionem impetret. Gl. hic V. Alium. nam Iudex omnia potest, sine rebus jurisdictionis, in causa, de qua cognoscere potest, commodè exerceri non potest. c. Præterea; 5. de off. deleg. Porro, etsi ille tertius, cum quo lis non contestata, citari non possit, nec invitatus ad Iudicium trahi à Iudice appellationis; si tamen sponte coram ipso compareat, eò quòd sua interfit, & litem promovet, vel appellanti assistere velit, admitti debet, cum etiam extranei pro suo interesse intervenire admittendi sint. c. Veniens; 38. de testib. & l. 1. ff. appell. recipiend. Franc. in cit. §. In alium; n. 2.

CCXIII. Assertio sexta. Si quis ab Episcopo Suffraganeo (vel alio Iudice ordinario) super aliqua causa appellavit ad Metropolitanum (vel ad alium Superiorem Iudicem) in aliis causis jurisdictioni Episcopi sui ordinarii subiectus maneat: & proinde, si pendente appellatione, conveniatur super alia causa, non potest Metropolitanus, vel alius Officialis impedire Episcopum, ne cognoscatur de illa causa, nec talem appellantem ab eiusdem Ordinarii potestate omnino eximere; prout decretum est in cit. c. Romana; §. Cum verò de hi, & ibi Gl. in fine; h. 1. in Sexto. nam, licet subditus appellans potest forte recusare Episcopum, vel alium Iudicem Ordinarium, probato gravamine, quòd intulit in causa à qua appellavit (de quo infra) non tamen Archiepiscopus, Iudex appellationis potest se ingerere in illis causis, præter causam appellationis. Gl. in cit. c. Romana; verò de hi, in casibus; & V. In aliqua causa. Ratio est, quia appellatio non eximit appellantem à jurisdictione Iudicis à quo, nisi in ea tantum causa, à qua appellatum est. c. Proposuit; 24. h. 1. neque

licii Suffraganeorum sunt subiecti Metropolitanis, nisi in causa appellationis, & aliis quibusdam casibus iure exceptis; ideoque extra illos casus, in eos nullam Iurisdictionem exercere potest. *cap. 1. de foro compet. in Sexto.* Id autem procedit, siue appellatum sit ab Episcopo, ad Metropolitanum, ante sententiam, siue post illam, & siue in scriptis, siue sine illis. *Franc. e. l. n. 2.*

CCXIV. Assertio 7. Siquis appellavit ab Episcopo ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum, Episcopus autem sententias, seu censuras Interdicti, vel suspensionis, vel excommunicationis promulget in appellatam ab eo, hoc casu, non debet Archiepiscopus, siue Iudex appellationis eas Censuras revocare, vel irritas declarare, nisi vocatis partibus prius cognoverit, num appellatio iusta, ac legitima fuerit, an non, prout decernitur in *cit. cap. Romana, §. Sententias h. t. in Sexto.* Ratio est; quia, quando Archiepiscopus aditur per viam appellationis, non habet Iurisdictionem in subditos Episcopi, à quo appellatum est, nisi prius appellatio iustificata fuerit, siue constiterit, utrum bene, an male appellatum fuerit: ac proinde, neque, antequam cognitum fuerit de iustitia appellationis, attentata post illam, videlicet excommunicatio lata, vel suspensio &c. revocari, vel rescindi debent. *Anchar. in cit. cap. Romana; n. 15.* nam talis revocatio cederet in præiudicium appellati: ubi autem veritur interesse partis, semper illa citanda est. *l. de inoquoque 3 47. ff. de re iudic.* Veruntamen post hoc casu Archiepiscopus absolvere appellatam ab excommunicatione, aliave censurâ, cautione saltem iuratoriâ ab eo receptâ de stando iuri, seu parendo mandatis Ecclesiæ, si periculum esset in mora, siue animæ periculum subesset. *Glos. in cit. §. Sententias. V. Revocent. Abb. in cap. Quâ fronte; 25. n. 5. in 3. lectura h. t.* ubi rationem diversitatis assignat quia in appellatione, quæ sit cautione receptâ, nulli parti præiudicatur, nec in effectu sit aliquid contra sententiam excommunicationis: at verò, quando revocatur sententia excommunicationis, tanquam iniusta, vel declaratur esse nulla, per hoc præiudicatur parti adversæ, & tacite pronunciat, excommunicatorem male processisse, ideoque id fieri non debet à Iudice appellationis, nisi prius de iustitia appellationis plenè cognoverit, partibus præsentibus.

CCXV. Assertio 8. Si ab Episcopo ab interlocutoria, vel alio Iudicis gravamine appellatum sit ad Archiepiscopum (vel Officiale eius) is cognoscere debet de causa appellationis, & si constiterit, eam minùs rationabilem, seu legitimam esse (ut quia v.g. causa appellandi non est reperta probabilis, & vera) non debet Archiepiscopus (vel alius Iudex ad quem) ulterius procedere, siue cognoscere de causa principali; sed remittere appellatam ad Episcopum, siue ad Iudicem ordinarium, à quo appellatum, ut ipse de causa principali cognoscat; prout deciditur in *cit. cap. Romana, §. Cum autem ult. h. t. in Sexto.* & ibi *Gl. V. Minus rationabilem.* nisi tamen Iudex à quo detulerit appellationem; tunc enim non necessariò fiet remissio ad illum. *Franc. hic n. 1.* quia, quantum in se fuit, abdicavit à se omnem Iurisdictionem in causa illa, ideoque totius causæ cognitio ad Iudicem Superiorem est devoluta. *cap. In*

Tome II.

appellationibus; §. h. t. in Sexto. & dictum supra, Deinde aliud est, si appellatum fuerit à definitiva sententia; tunc enim Iudex ad quem statim potest cognoscere de ipsa causa principali. *cap. Ut debitus 3 59. h. t. Gl. hic in §. ult. V. ante sententiam.*

Ceterùm hæc Constitutio Innocentij IV. in *cit. cap. Romana; 3. h. t. in Sexto.* innovata est per Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 7. de reform.* ubi decernitur, quòd ea servari debet in omnibus appellationibus ad Legatos, & Nuncios Apostolicos, Patriarchas, Primates, & Metropolitanos interpositis, in quibusvis causis, non obstante quacunque consuetudine, aut privilegio in contrarium; alioquin omnia acta sint ipso iure nulla. Et hoc decretum, secundum declarationem Cardinalium apud *Joan. Gallemar. ibid. n. 2.* etiam ad appellationes ad Sedem Apostolicam interpositas extenditur.

An autem Iudex ad quem possit cognoscere de causa principali, finitâ, vel omisitâ causâ appellationis, dictum est supra n. 108. & pluribus seqq. ubi explicatum est *cap. 1. h. t. in Sexto.*

§. V.

An, si litigans coram suo Iudice non appellavit ab interlocutoria, postea revocò appellavit à definitiva, Iudex appellationis possit revocare interlocutoriam, & gravamen per illam illatum reparare?

CCXVI. Ad hanc questionem respondit Papat Bonifacius VIII. in *cap. Licet 3 12. & ult. h. t. in Sexto.* Distinguendum esse: si enim talis lata sit sententia interlocutoria, quæ negotio, seu causâ principali præiudicat, ut, si à Iudice non admittitur, sed repulsa sit exceptio facti (de non petendo in perpetuum. *Gl. hic V. Pacti.*) vel præscriptionis, vel alia similis exceptio peremptoria: vel quæ Iudici nullum reddit (cuiusmodi est exceptio falsi testis, aut procuratoris. *cap. Licet 3 56. ff. de iudic. cap. In nostra 3 4. de procurat. aut falsi instrumenti. cap. Cum venerabilis 3 6. de except. vel Rescriptum ab Excommunicato impetratum esse. cap. 1. de Rescript. in Sexto. Gl. hic V. Reddens.) Tunc Iudex appellationis potest revocare, & emendare gravamen illatum per eandem interlocutoriam, licet gravatus intra decendium post eam latam, appellare intermiserit (ac proinde potest etiam is, qui postea appellavit à definitiva, etsi post decendium promulgata, talem exceptionem peremptoriam coram Iudice, ad quem appellatum, repetere, ac denuo proponere, usque de ea cognoscere debet. *Glos. hic in casu*) si verò sententia interlocutoria non sit talis, quæ pariat præiudicium negotio, seu causâ principali (cuiusmodi sunt exceptiones dilatoriae, quæ non nisi ante litem contestatam opponi possunt. *Glos. hic V. Non pariet*) vel Iudicium nullum reddit; tum Iudex appellationis non potest huiusmodi interlocutoriam, vel gravamen per illam illatum, per appellationem à definitiva postea interpositam revocare, vel emenda-*

LIII

emenda-

emendare, nisi ab illâ appellatum fuerit; prout deciditur in *cit. cap. ult. §. Ubi verò.*

Ratio prioris partis huius cap. cur nimirum, si feratur sententia interlocutoria, per quam rejicitur exceptio peremptoria præiudicans causæ principali, vel reddens Iudicium retro nullum, & Reus non appellavit, si deinde appeller à definitiva, quæ post decem dies promulgatur; tunc Iudex appellationis posset gravamen per talem interlocutoriam illatum revocare, & emendare: ratio, inquam, est; quia, si interlocutoria præiudicans causæ principali non posset postea per appellationem à sententia definitiva revocari, & emendari, non posset ipsa causa principalis bene expediri, & nihil prodesset à definitiva appellasse. *Glos. hic V. Emendari.* tum quia totus processus Iudicii præcedens ordinatur ad sententiam definitivam, ut ad finem: & ideo appellatio ab ipsa non solum rescindit, vel saltem suspendit sententiam definitivam, sed etiam omnia acta præcedentia ordinata ad illam; & consequenter per talem appellationem à definitiva omnia devolvuntur ad Iudicem appellationis, ita, ut possit corrigere, & reformare decisa per Iudicem à quo, sive causæ principalis, & emendare gravamen illatum ab interlocutoria, ante sententiam definitivam: nam ante illam non censetur quis verè læsus, seu gravatus, sed gravamen consummatur per definitivam. *Joan. Monach. hic n. 1. & 2. & Anchar. not. 2.*

Ratio posterioris partis huius cap. est; quia, si coram Iudice à quo, sive causæ principalis proposita sit exceptio dilatoria, quæ non generat præiudicium causæ principali, vel reddit Iudicium nullum, eaque reiecta sit à Iudice, & excipiens intra decem dies non appellavit; tunc non potest appellans eam repetere coram Iudice appellationis, neque hic de tali exceptione cognoscere potest. *l. Ita demum; 13. C. de procurat. quia, etsi in causa appellationis possint non allegata, seu proposita in prima instantia, in illa proponi, & non probata probari: id tamen intelligendum est de ijs, quæ post litem contestatam proponi, ac deduci poterant: nam, quæ erant proponenda, ante litem contestationem, non possunt proponi, & deduci coram Iudice appellationis. *cit. l. Ita demum; & tradit Gl. hic in casu.**

Hinc inferitur, consultum esse, ut partes litigantes coram Iudice primæ instantiæ plenè jura sua deducant, petantque probationes, & exceptiones integrè recipi, & in acta Iudicij redigi, seu in illis describi: nam hoc factò, si altera pars adversa à sententia lata appeller, & coram Iudice appellationis nihil novi afferat, sed solum ea, quæ in prima instantia jam utrinque allegata, & deducta sunt, repetat: is, contra quem appellatum est, non tenetur ulterius ad articulos respondere, cum nihil novi contineant, sed ad acta prioris Iudicii se referat, quippe quæ intra easdem partes notorium inducunt: tunc enim Iudex appellationis, causâ cognitâ, tales Articulos gravaminum; neque ad respondendum, neque ad probandum admittere, sed definitivè pronunciare debet, quod Iuris est; ut notat *Gail lib. 1. obs. 128. num. 4. & 5.*

CCXVII. Illud hinc addendum, tametsi sententia interlocutoria lata super his, quæ non præiudicant causæ principali, neque Iudicium nullum reddunt, per lapsum decem dierum in rem iudicatam

transeat, non solum quoad partes, sed etiam quoad Iudicem appellationis à definitiva: secus tamen quoad priorem Iudicem, à quo fuit appellatum, enim interlocutoriam potest revocare, usque ad sententiam definitivam. *cap. Cum cessante; & in Franc. in cit. cap. ult. num. 1. h. t. in Sexto.*

SECTIO VIII.

DE EFFECTU APPELLATIONIS, & attentatis postillam.

§. I.

De effectu appellationis suspensivo.

CCXVIII. Duplex est effectus appellationis, suspensivus, & devolutivus. De priore ageamus, de altero postea.

Affertio prima. Primus, & principalis effectus appellationis à sententia definitiva est, quòd post illam suspendatur Iurisdictio Iudicis à quo, ita, ut sententiam à se latam, pendente appellatione, executioni mandare non possit; prout sumitur ex *cap. nientes; 19. in princ. ibi: Vos sententias appellationis suspensas executioni mandetis, de Iureiur. & ex cap. de lectis; 55. hoc tit. ubi dicitur, quòd Iudex inter appellationem interpositâ, procedere non debet ad sententiam exequendam: & ibi *Glos. V. Exequenda* ubi ait, quòd Iudex, post appellationem, sententiam definitivam non debet executioni mandare, & ibi *§. fin. ff. ad Senatusconsultum Turpilli* dicitur, quòd appellationis remedio, condemnationis (sive sententia condemnatoriæ) extinguitur pronuntiatio, id est, suspenditur. *Glos. ibid. V. Exinguitur.* Abbas in *hujus tit. num. 4. Marant. de ord. iudic. p. 4. tit. appell. num. 162.* ubi ait, quòd per appellationem definitivam suspenditur Iurisdictio Iudicis à quo, in alia inhibitione. *Hiltrop. in process. iudic. p. 4. tit. num. 27.* quæ tamen suspensio cessat, si sententia per Iudicem à quo per Iudicem appellationis fuerit confirmata, ita, ut statim executioni mandari possit. *Hiltrop. cit. loc.* Aliud est de appellatione à sententia interlocutoria, per quam non suspenditur Iurisdictio Iudicis à quo, quin possit procedere in causa, ut requam inhibeat à Iudice, ad quem appellatum. *Marant. cit. loc.**

CCXIX. Affertio 2. Per appellationem non suspenditur Iurisdictio Iudicis à quo, nisi in ea tantum, in qua est appellatum, non autem in aliis rebus: potest tamen appellans in alia causa recurrere eundem Iudicem, ut suspectum; prout deciditur in *cap. Proposuit; 24. hoc tit.* Nam quæsitum fuit ex Papa Alexandro III. cum sæpe contingat, ut quis coram suo Iudice Ordinario in aliqua causa appeller, sed, cum postea coram eodem in aliis causis convenitur, in quibus non est appellatum, respondere recuset; quid tunc faciendum sit? Respondit Papa, etsi is, qui à Iudice suo Ordinario appellatus per una causa, in aliis causis, super quibus non est appellatus, coram eodem respondere teneatur, non obstante præviâ appellatione: Iudex tamen, à quo idem

appellavit, cum sit ipse suspectus, non debet eum cogere, si respondere super aliis causis recuset: nisi in crimine gravi, & manifesto, ob quod ipse factus merito sit condemnandus. Ratio primæ partis est; quia appellans non eximitur per appellationem à jurisdictione sui Iudicis ordinarij, nisi in ea causa tantum, in qua appellatum est. *cap. Cum teneamur; 17. h. r. Glos. h. r. In aliis.* ideòque non suspenditur, vel impeditur eius jurisdictione in aliis causis, quin cognoscere de illis possit; quia ordinarius Iudex habet universalem jurisdictionem, & non limitatam ad unam tantum causam. *cap. 1. de offic. ordin.*

Ratio secundæ partis, cur recusari possit Iudex, à quo appellatum est, in alia causa, est; quia, cum in priorè causa gravaverit, periculum est, & suspicio, ne in alia quoque causa gravet. Et hoc quidem procedit de Jure Canonico, quo etiam ordinarius Iudex ut suspectus (modò coram arbitris suspicio probetur. *Gl. marg. h. r. B.*) recusari potest, ne fortè denuo gravet. Sed de Jure Civili non licet recusare Iudicem ordinarium, à quo prius appellatum est, cum appellando nulla fiat iniuria Iudici, & si appellans veretur, ne in alia quoque causa gravetur, potest iterum appellare. *l. unie. ff. apud eum, à quo appell. & ibi Gl. fin. junct. Gl. marg. lit. A.* Ratio denique tertiæ partis, sive exceptionis est; quia, sicut in facto notorio non admittitur appellatio, ita neque recusatio Iudicis. *Gl. h. r. Manifesto.* quamvis exceptio, quòd Iudex sit incompetentens, etiam in delicto notorio opponi possit, & admitti debeat. *Franc. h. r. n. 5.*

Limitatur tamen, ut solum procedat, quando delictum notorium est, cui poena ab ipsa lege est determinata; tunc enim potest Iudex etiam in facto proprio notorio procedere; quia potius est executor legis, quam Iudex: sed si poena ei imponenda esset arbitraria à Iudice, tunc etiam Iudex ordinarius potest recusari, ut suspectus in aliis causis, in quibus non est appellatum, licet delictum sit manifestum, ac notorium; quia potest gravare, imponendo maiorem poenam, quam mereatur. *Abb. h. r. n. 8.*

CCXX. Idem statutum habetur in *cap. Ad hæc; 6. h. r.* ubi dicitur: Siquis à Iudice in una causa appellavit, & pendente appellatione, in alia causa, super qua non fuit appellatum, accusetur, vel conveniatur coram eodem Iudice, ut quia crimen aliquod commisit: poterit eum Reus tanquam suspectum recusare, si voluerit; alioquin stare debet eius Iudicio, maxime, si ordinarius eius Iudex sit. Ratio est; quia, cum appellatio fiat propter gravamen illatum in hac causa, ideo per illam suspenditur jurisdictione Iudicis à quo tantum quoad hanc causam, & quæ ipsi connexa sunt, non autem quoad alias causas diversas, ac separatas, in quibus non gravavit appellantem. *Abb. h. r. n. 1.* Similiter, si Iudex delegatus sit super pluribus causis, & in una appellatur ab ipso, potest, non obstante eà appellatione, adhuc procedere in aliis causis; ut colligitur ex hoc *cap. ibi: Maxime;* & notat *Hofstiens. h. r. Eodem.* quia hæc particula suapte naturâ non est exclusiva, sed implicativa; ut tradit *Glos. recepta in cap. Ad abolendum; 16. V. Maxime spiritus de fil. Presbyt. adeòque non excludit Iudicem delegatum, quò minus etiam ipse in aliis causis, in quibus non est appellatum, cognoscere possit. Alexand. h. r. num. 6. pr.*

Tunc II.

terquam, si appellans Iudicem recusaverit tanquam suspectum, quod potest, si velit. *Glos. in cap. Proposuit; 24. V. Non debet h. r.*

CCXXI. Porro, si quis hoc casu Iudicem, sive ordinarium, sive delegatum recuset, ut suspectum, is debet allegare, & probare, non tantum se ab illo in alia causa appellasse, sed etiam probare (coram arbitris communi consensu electis. *cap. Cum speciali; 61. hoc tit.*) se à Iudice gravatum esse, & quidem iniuste, sive ex proposito, & cum formali intentione, seu animo gravandi, non tantum materialiter, & præterintentionem; ut docet *Ioann. Andr. h. r. num. 4. in fine.* Verum, cum animus, & intentio non possit probari, nisi ex coniecturis, seu iudiciis, hoc ipso, quod constat, gravamen secundum se iniustum illatum esse, præsumitur, ac censetur malo animo, seu intentione illatum esse; quia in malefactis præsumitur malus animus, seu mala intentio. *cap. 1. de præsumptionibus elidatur. Arg. l. Si non; 5. C. de iniuriis.* ubi dicitur, quòd, qui aliquid iniuriosum se non convitii causa dixisse, ait, id probare debeat; quia præsumitur animo convitiandi dixisse, nisi contrarium probetur. *Glos. ibid. V. Probare potest. Abb. in cit. cap. Ad hæc; num. 2. & 3. hoc tit.*

S. II.

Quibus casibus per appellationem non suspendatur Iurisdictio Iudicis à quo, sed eà adhuc pendente, nihilominus is procedere possit?

CCXXII. Assertio prima. Appellatio non ita semper suspendit Iurisditionem Iudicis à quo, quin is, eà non obstante, & adhuc pendente, procedere possit, citra vitium attentati. Nam in primis Iurisdictio Iudicis à quo non est suspensa, quò minus pendente appellatione, facere possit omnia illa, quæ tendunt ad faciorem exitum, seu finem causæ appellationis, dummodo se non immiscet ipsi appellationi, & de illa cognoscat; ut docet *Abb. in cap. Cum teneamur; 17. h. r. num. 1. Marant. de ord. judic. p. 6. de appell. n. 185. & Canonistæ communiter.* Quare Iudex, à quo appellatum est in Iudicio possessorio, pendente appellatione, potest cognoscere, si querela turbata possessionis ab appellante ad ipsum deferatur; prout sumitur ex *cit. cap. Cum teneamur; h. r.* Ubi cum quidam à sententia Archiepiscopi Cantuariensis appellasset ad Papam, & postea pendente appellatione, aliquis turbasset eiusdem appellantis possessionem, v. g. ædium, circa quas controversia vertebatur; quæsit idem Archiepiscopus, an ipsi liceat turbatam possessionem reformare, prætermittis tamen cognitione causæ, super qua appellatum est. Respondit Alexander III. id ipsi licere, servato tamen Ordine iudiciario, si talis querela ad ipsum deferatur.

Ratio huius decisionis est; quia pendente appellatione, Iurisdictio Iudicis à quo, tum Ordinarij, tum delega-

delegati, etiam quoad causam, in qua est appellatum, non est omnino extincta, sed suspensa tantum, ita, ut non possit cognoscere de causa, & iustitia appellationis: quare, cum appellatione iustificata, causa remittenda sit ad Iudicem à quo; adeoque eius etiam interfit, ut pendente appellatione, nihil innovetur, vel mutetur. *l. unic. ff. Nihil innovari* & c. idcirco ad eundem etiam pertinet curare, ut omnia interea in eodem statu permaneant, donec causa appellationis decisa sit, & inhibere potest partibus, ne quidpiam attentent, seu immutent, appellatione pendente, atq; super attentatis Ordine iudiciario summarie cognoscere potest, & quæ malè attentata, seu innovata sunt, revocare; ut in casu *cit. cap. Cum teneamur*, si appellans turbatus sit in sua possessione: quemadmodum etiam Iudex à quo, pendente appellatione, præfigere potest terminum appellanti. *cap. Consuluit; 14. b. 1.* & Iudex ordinarius prohibere potest parti appellanti sub censura, ne pendente appellatione aliud matrimonium contrahat, sive ad alias nuptias transeat, etiamsi ipse Iudex appellationi detulerit. *c. 2. junctâ Glof. V. Districtius de matrim. contract. contra interd. Eccles. Abb. in cit. cap. Cum teneamur; n. 5. Alexand. ibid. n. 7. & 8.*

CCXXIII. Ubi tamen præterea Notandum primò. Prohibitio illa Iuris, ne pendente appellatione aliquid innovetur, intelligi debet de ijs tantum, quæ tendunt in præiudicium appellationis, eamque impediunt: non autem de ijs, quæ causam appellationis adiuvant, seu ad faciliorem eius exitum tendunt, ea enim immutari possunt à Iudice à quo, dummodo non cognoscat de iustitia appellationis. *Abb. & Alexand. citatis locis.* Idemque dicendum, si inhibitio facta sit à Iudice ad quem, ne Iudex à quo, pendente appellatione, aliquid innovet, seu attentet: nam intelligi debet de his, quæ fiunt contra appellationem; non autem de his, quæ fiunt in favorem eiusdem: hæc enim mutari possunt, non obstante inhibitione, non autem priora. *Alexand. cit. loc. n. 9.* Imò etiam ipse Iudex à quo, si quæ, pendente appellatione, innovavit, vel attentavit in præiudicium appellationis, revocare id potest, ac debet. *Franc. apud Laym. in cit. cap. Cum teneamur. in fine.*

Notandum secundò. Pendente appellatione, non debet appellans turbari in possessione sua, in qua antea erat: nam potest uti possessione suâ, ac fructus percipere, sicut prius, ac proinde eâ urendo, eodem modo, quo prius, non dicitur aliquid innovare. *Alexand. cit. loc. n. 2.* Quare, si possessor condemnatus sit ad possessionem Actori tradendam, & à sententia appellavit, potest, si pendente appellatione spoliatur, vel turbetur, agere interdicto recuperandæ, aut retinendæ possessionis, secundum doctrinam *Gloffe in cap. Sape; 44. V. Rata manet sententia hoc tit.* ubi ait, quòd Prælati ab Episcopo depositus per sententiam definitivam, si ab ea appellavit, potest liberè exercere suum officium; adeoque & subditum v. g. excommunicare; quia interea manet in possessione, quam prius habuit, nec in ea turbari debet. Cuius ratio est; quia condemnatus, pendente appellatione, non censetur condemnatus. *l. 2. §. ult. ff. de penis.* Veruntamen si tali casu appellans suspectus sit, ne reditus Ecclesiæ, vel res, de qua lis est, dilapidetur, tum sequestratio fieri, & imperari potest.

l. Imperatores; 21. in fine. ff. hoc tit. Ne alioquin Iudicium fiat elusorium, & executio sententiæ impeditur. *Alexand. cit. loc. n. 3. Gail lib. 1. obs. 14. b. 1.*

Notandum tertio. Licet appellans redeat ad Iudicem à quo, petendo ab eo v. g. ne turbetur in possessione sua, quam prius habuit; ut in casu *cit. cap. Cum teneamur.* non censetur per hoc renunciare appellationi suæ; quia accedit illum non in causa appellationis, sed in alia, in qua est Iudex eius ordinarius. *Glof. magna in cit. cap. Cum teneamur; in nota. & V. Prætermiff. & Abb. ibid. n. 2.*

CCXXIV. Assertio 2. Appellans à Iudice ordinario, si postea committat aliquod crimen, potest, non obstante appellatione, eaque pendente, puniri ab Ordinario ob illud crimen; prout statuitur est in *cap. Præterea; 22. hoc tit.* Ubi Alexander rescribit: si aliqui Clerici coram Episcopo suo litigantes, ab eo appellent ad Sedem Apostolicam, & postea gravia scelera (pendente appellatione) committant, ob eaque coram eodem Ordinario conventi, per appellationem se tueri velint, non sunt audiendi; quia eos appellatio in sua iniquitate tueri non debet, quò minus excessus eorum per Canonice censuram puniri debeant. Ratio est; quia per appellationem non suspenditur Iudicium Iudicis à quo, nisi in ea causa, super qua est appellatum, ita, ut in aliis possit procedi. *cap. Super; 10. & cap. Cum teneamur; 17. hoc tit. & dictum suprâ.*

Porro, quamvis in hoc cap. sermo sit de rebus criminibus, & post appellationem committitur, quia nimirum casus de his solum Pontifici fuit positus: idem tamen dicendum est, de delictis non gravibus, seu enormibus, & de commissis ante appellationem, ita, ut propter illa possit quis, non obstante appellatione, accusari, & conveniri coram Iudice suo ordinario, & ab eo puniri; quia non decisionis expressa in textu, etiam locum habent istis delictis, quòd videlicet appellatio non debet aliquem tueri in sua iniquitate, ita, ut puniri non debeant: nam appellationi, quæ fovet iniustitiam, quam est deferendum, cum remedium appellationis institutum sit, ut relevet ab iniquo gravamine, non iniustitiam pervertat. *Abb. hic n. 2. & Alexand. n. 4.*

CCXXV. Assertio 3. Is, qui appellavit ante sententiam (scilicet ab interlocutoria, vel illius gravamine à Iudice à quo) si hic terminum appellationis præfigat, intra quem gravamen ostendere debeat, & revocationem eiusdem audire, non tenetur appellans ad probandū gravamen comparere coram Iudice à quo, cum ipse scire possit, ac debeat, num gravaverit, necne? & illius iurisdictionis per appellationem sit suspensa. Verum, si Iudex à quo ad hoc tantum citet appellantem, ut revocationem gravaminis audiat, siquidem eam faciendam existimet, tunc appellans debet comparere: alioquin, si non comparuerit, & Iudex à quo in termino præfixo gravamen revocaverit cum effectu, sive re ipsa, & actum potest liberè in causa procedere, tanquam contra contumacem, perinde, ac si appellatio interpretata non fuisset; prout statuit Bonifacius VIII. in *l. à Iudice; 10. h. r. in Sexto. & ibid. Gl. in casu.* ubi *V. d. dice,* ait, hoc procedere sive à Iudice ordinario, delegato, vel etiam ab arbitro juris appellatum.

Duz sunt partes huius c. Prima. Quod Judex à quo non potest compelli appellentem à gravamine, ut compareat ad probandam veritatem illius; tum quia, si cognosceret de veritate gravaminis, periculum esset, ne semper pronuntiaret in proprium favorem, dicendo, se non gravasse; tum quia de facto proprio quilibet debet esse certus, & jurisdictione Iudicis à quo per appellationem est suspensa; ut habetur in textu; ideoque amplius citare non potest. Secunda pars huius c. quod Judex à quo appellentem citare possit ad audiendam revocationem gravaminis, est; quia Iudicis à quo jurisdictione non est suspensa, quoad actus, qui tendunt ad faciliorem expeditionem appellationis, qualis est revocare ipsum gravamen, & ad hoc citare. *Franc. hic n. 1. not. 3.* ideoque, si Judex gravamen, propter quod appellatum est, revocavit, reassumere potest jurisdictionem suam, perinde, ac si appellatum non esset; quia cessante causa, videlicet gravamine, cessare debet effectus, nempe appellatio, quæ fit propter gravamen illatum. *c. Cum cessante; 60. h. 1.*

CCXXVI. Hinc colligitur primò: Quando certum, & notorium est, citanti nullam competere jurisdictionem in citatum; tum, licet non compareat, non potest contra eum citans procedere tanquam contra contumacem. *Barb. in Collect. hic n. 2.*

Colligitur secundò: Et si veritas appellationis, seu gravaminis probanda est coram Iudice appellationis, potest tamen etiam probari coram Iudice à quo appellatur, si ita ipse appellans velit. *c. Interposita; 70. in princ. h. 1. Gl. hic V. Per se.*

Colligitur tertio. Si appellatum sit ab interlocutoria, seu gravamine, ante sententiam, potest Judex à quo gravamen revocare, non autem, si appellatum sit à sententia definitiva; tunc enim gravamen revocari non potest, sicut nec ipsa sententia; quia Judex functus est officio suo, semel judicando, sive bene, sive male. *l. Judex; 55. ff. De re judic. Gl. hic V. Gravamen. Franc. n. 4.* sive sit gravamen verbale, quod verbis revocari potest, sive reale, quod non verbis, sed re, sive actu revocari debet; quia verba cum effectu intelligenda sunt. *Gl. hic V. Cum effectu.*

CCXXVII. Assertio quarta. Si excommunicatus (vel interdictus personaliter) ob contumaciam, vel aliam causam, appellavit ad Papam, vel alium Iudicem Superiorem, potest, eo non obstante, à Iudice, à quo appellavit, petere absolutionem, salva appellationis causa, eamque absolutionem Judex, qui excommunicavit (recepta prius sufficiente cautione) conferre potest, ac debet, licet adversarius contradicat, & appellet, ne absolvatur; prout sumitur ex *c. Quà fronte; 25. h. 1.* ubi in primis Papa Alexander III. reprehendit Archiepiscopum Cantuariensem, quod juris ordinem pervertendo, non in Ecclesia, sicut honestum, & Canonicum est, nec in palatio, & Camerâ suâ, sed in Regis Camera, contra juris præscriptum, & Pontificalis Officii dignitatem, Episcoporum electiones confirmet; quia huiusmodi actus spirituales in Ecclesia, vel Capitulis exerceri debent, non in domibus laicorum, etiam Principum (*Gl. hic V. Canonicum; & Alex. de Nevo n. 6.*) postea respondet Pontifex ad quæstiones sibi propositas: videlicet, quod, si quis, ob contumaciam, vel aliam causam, excommuni-

nicationis, vel interdicti vinculo sit obstrictus, & offerat se ad parendum Ecclesiæ mandatis, Judex sive Ordinarius, qui sententiam excommunicationis, & interdicti tulit, & à quo petitur absolutio, vel eius Superior, sive etiam delegatus, ante definitivam sententiam latam. *Hofsiens. hic V. Quod Judex*) potest eum, ne in excommunicatione decedat, absolvere, tametsi pars adversa contradicat, & ne absolvatur, appellet: debet tamen ab ipso, antequam absolvatur, sufficiens cautio recipi, quod, vel in præsentia Papæ, ad quem appellatum est, vel coram eius delegato in hac causa, prout adversarius, contra quem appellatum est, maluerit, juri parere velit. Idemque similiter dicendum de iis, qui conqueruntur, se irrationabiliter excommunicatos esse, vel Interdicto subiectos: nam, si nihilominus caveant, ac promittant, se juri parituros, absolvi debent à Superiore, v. g. Archiepiscopo, etiam si is, qui sententiam excommunicationis, vel interdicti tulit, v. g. Episcopus appellet, ne absolvantur.

Ratio decisionis huius c. est; tum quia ex una parte per huiusmodi absolutionem ab excommunicatione factam ab eo, qui excommunicavit, non impeditur cursus appellationis: & sic nihil decedit adversario, contra quem appellatum est, cui providetur per sufficientem cautionem de parendo juri, & mandatis Ecclesiæ, & consequenter etiam Excommunicatori; tum quia sic consulitur animæ ipsius excommunicati, ne, priusquam causam appellationis prosequatur, in excommunicatione extra communionem fidelium decedat, & in hoc etiam ipsi prodest, ne interim vitetur; id autem, quod tendit in faciliorem exitum appellationis, potest facere Judex à quo. *Abb. hic n. 15. & 16. Alex. ibid. n. 50. & 51.*

CCXXVIII. Notandum primò. Quod hinc dictum est de Excommunicatione, idem etiam locum habet in Interdicto personali: nam, & hæc censura ligatus tali casu absolvi potest, ac debet, non obstante appellatione; ut patet ex hoc c. ne, si in ea decedat, privetur sacrâ, seu Ecclesiasticâ sepulturâ, juxta *c. Quod te; 11. de penit. & remiss.* Aliud est de censura suspensionis, à qua, si quis eâ irretitus appellet, tanquam gravatus, absolutionem non à Iudice à quo, sed ad quem petere debet; quia suspensio non privat suffragiis, neque Sacramentorum perceptione, neque Ecclesiasticâ sepulturâ, sicut excommunicatio, & interdictum; ideoque in ea cessat ratio *cir. c. Quà fronte*; quia, etiamsi quis in suspensione decedat, per se non patitur spirituale aliquod incommodum; ideoque eius absolutio non est ita ad salutem animæ necessaria, sicut absolutio ab excommunicatione, vel etiam interdicto personali. *Suar. dif. 29. de censur. sec. 2. n. 3.* Quare, si quis appellet à censura suspensionis contra se lata, absolutionem petere debet, non à Iudice à quo, sed ad quem; quia in suspensione cessant rationes suprâ allatæ, ob quas, non obstante appellatione, potest excommunicatus petere absolutionem ab eodem Iudice à quo, si appellationi detulit.

Notandum secundò. Aliquando quis excommunicatur propter solam contumaciam, quæ est causa immediata excommunicationis, sive præcedat delictum, sive non; ut, si quis citatus comparere non vult: aliquando verò ob crimen, vel delictum, in quo contumaciter perseverat, v. g. Clericus concubi-

nam deferere nolens, & de hac contumacia agitur in *cit. c. Quà fronte*; nempe de causa mediata excommunicationis. *Alex. ibid. n. 30.* Et quamvis pro levi culpa non sit aliquis excommunicandus, tamen quælibet contumacia est sufficiens causa excommunicationis, eaque digna, imò tantò major videtur contumacia, quantò ex re, seu causa minore confurgit; ut ait *Gl. in c. Duo sunt*; 10. *dis. 96. V. Videbatur. Alex. cit. loco.*

Notandum tertio. Si excommunicatus, vel interdictus à Prælato inferiore, v. g. Episcopo, accedat ad Superiorem illius, v. g. Archiepiscopum, per modum simplicis querelæ, & dicat, se injustè excommunicatum, vel interdictum esse; tum debet à Superiore absolvi (præstità priùs debità cautione) non obstante contradictione, & appellatione sit in Judicio, pendente cognitione eius, qui illum excommunicavit; ut habetur in *cit. c. Quà fronte*; in *fine. & ibi Gl. V. Conqueruntur*; & *Gl. fin. Imol. ibid. n. 6.* ubi addit, quòd in §. immediatè præcedente, excommunicatus non queritur de injustitia sententiæ, sed petit se absolvi ab excommunicante: in §. Verò ult. conqueritur de injustitia excommunicationis coram Superiore excommunicantis. Porro quæ in principio huic c. de confirmatione Episcopi, ubi ea fieri debeat, dicuntur, ea suprà explicata sunt *lib. 1. tit. 6. n. 327.*

CCXXXIX. Prædictis hoc loco addendum. Si quis, postquam appellavit à sententia Judicis Ecclesiastici, v. g. ab Episcopo, vel Archiepiscopo ad Papam, ab eodem Judice à quo excommunicetur, potest pendente causâ appellationis, petere absolutionem, & absolvi debet ad cautelam, neque, si interim appellans celebret Officia Divina, incurrit irregularitatem; prout sumitur ex *c. Ad præsentiam*; 16. *h. t.* Nam, cum R. Presbyter à sententia Archiepiscopi Eboacensis ad Papam appellasset, nihilominus Archiepiscopus ipsum excommunicavit; ideòque dictus Presbyter de hoc conquestus est apud Alexandrum III. qui causam certis Judicibus delegavit: Judices hi dictum R. tamen de jure excommunicatus non esset, de facto tamen eum curarunt absolvi (ad cautelam. *Gl. hic V. Absolvi*) sed quia eidem Presbytero objiciebatur, quòd post sententiam excommunicationis in eum latam, Divina Officia celebravit, respondit Papa, nullam ei quoad hoc quæstionem movendam esse; quia ea in ipsum lata est post appellationem legitime interpositam; ideòque omnia in eum statim reducenda sunt, in quo erant tempore appellationis interpositæ. Ratio decisionis est; quia excommunicatio lata à Judice, post legitimam appellationem, est invalida, & non ligat. *c. Per tuas*; 40. §. *Nos igitur*; de *sent. excom.* Nam, cum jurisdictio Judicis prioris per appellationem legitimam sit suspensa, excommunicare non potest. *Alex. hic n. 2.* neque etiam, qui legitime appellat, potest censeri contumax, & consequenter neque excommunicari.

CCXXX. Ubi notandum primò. Quòd dictum est, excommunicationem latam post appellationem legitimam esse nullam, id procedit, si notoriè constet, vel certum sit, appellationem esse legitimam; tunc enim excommunicatio subsequens non valet, nec ligat: si verò constet, & certum sit, appellationem frivolum, seu illegitimam fuisse, tunc excom-

municatio lata post appellationem, cui Judex non deulit, valida est, & statim ligat; quia appellatio frivola non suspendit jurisdictionem Judicis: quo: si verò non certo constet, sed dubium sit, an appellatio sit valida, necne, tunc quoad hoc quod excommunicationis invaliditas, vel validitas pendet futuro eventu; nam, si postea Judex ad quem provocet, appellationem fuisse legitimam, excommunicatio est invalida; si verò pronunciet, eam esse illegitimam, excommunicatio est valida: sed inspecta veritate, semper, & ab initio excommunicatio sit, vel invalida, vel valida. *Abb. in c. Passus est*; 13. *Verùm*; n. 14. *h. t.*

Notandum secundo. Excommunicatus, post legitimam appellationem, non tenetur se gerere pro excommunicato, & licet vitandus sit in Judicio, pendente cognitione de nullitate ipsius excommunicationis: non tamen in actibus extrajudicialibus, etiam spiritualibus; ut in electionibus, aut pollutionibus. *Abb. hic n. 2. Alex. n. 7.*

Notandum tertio. Si excommunicatus, post legitimam appellationem, Divina celebret, nec irregularis, quia excommunicatio fuit ipso jure irrita; ideòque non tenetur cessare à Divinis. *Abb. hic n. 2.* nihilominus talis, si velit, absolutionem petere potest ad cautelam: nam licet, qui absolute petit, se absolvi ab excommunicatione, fateatur se obligatum esse. *c. Venerabilem*; 34. *juncta Gl. V. Potho vit*; de *elect.* non tamen is, qui se petit absolute ad cautelam. *Gl. ibid. in addit. Alexan. in cin. c. Ad presentiam*; n. 13.

Notandum quarto. Judex delegatus potest communicatum absolvere ad cautelam; ut patet agere in Judicio; ut patet ex hoc *c. Abb. hic n. 1.* Nam delegati, quibus causa principalis committitur, etiam in accessoriis jurisdictionem exerceere possunt. *c. Prudentiam*; 21. *in fine. de offic. deleg.*

CCXXXI. Ceterum plures sunt ad hoc casus, in quibus, pendente appellatione, jurisdictionis Judicis à quo non est suspensa, quò minus procedi possit, non obstante appellatione, antequam inhibetur à superiore Judice, quos recenset *Mart. de re judic. p. 6. de appellat. n. 163. & plurib. seq.* Nam presentari potest, pendente appellatione, innovatio fieri contra tertium, etiam super eadem re, si nihil interdicti appellantis, eam fieri, vel non fieri, v. g. si sint duo Res debendi in solidum, & unus ex eis conventus, & condemnatus appeller, potest, pendente appellatione, conveniri alter, & Judex à quo contra eum neque procedere. *l. Creditor*; 60. *in prin. ff. Mandat.* qui est inter alios acta aliis non præjudicat. *Gal. lib. 1. n. 144. n. 9.*

Secundo. Ea fieri possunt, pendente appellatione, quæ fieri poterant, pendente causa principali, ut est, compellere litigantes ad cavendum. *Mart. de re judic. p. 6. de appellat. n. 163. & plurib. seq.* Unde patronus, cui competit jus præsentandi plures ad beneficium, præsentato uno, si is appellavit, ne præsentetur alius, potest nihilominus alium præsentare, non obstante appellatione; & Judex appellationem debet talem appellationem; quia, cum non admittit debet talem appellationem; & Judex appellationem licitè potest præsentare alium, etsi priùs unum præsentavit, non debet hac facultate privari per appellationem priùs præsentati. *Mart. de re judic. p. 6. de appellat. n. 165.*

Tertio, Judex à quo potest, pendente appellatione, taxare expensas, ad quas condemnavit; quia tunc non censetur innovare, sed potius declarare pronuntiata, *Mar. c. l. n. 186.* Quarto, si appellatio sit manifestè frivola, & frustratoria, potest Judex à quo procedere ad executionem sententiæ suæ; dummodo non deferat tali appellationi, cui justitia non defert, *c. Cum appellationibus; §. h. t. in 6. Marant. c. l. n. 171.*

Quinto, in omnibus casibus, in quibus de jure appellare non licet, potest etiam procedere Judex à quo; quia tunc appellatio non suspendit effectum sententiæ. *c. Non solum; 7. & ibi Gl. V. Casibus; h. t. in Sexto. Maran. c. l. n. 172.* ubi plures limitationes adfert usque ad n. 196.

S. III.

An, & quomodo per appellationem suspendatur Censura sub conditione lata?

CCXXXII. Assertio prima. Si censura lata sit sub conditione, & postea is, in quem ea lata est, ab illa appellet, ante eventum conditionis; tum sententia censuræ per appellationem interpositam suspenditur, ita, ut non contrahatur, etiamsi conditio non servetur; prout deciditur in *c. Præterea; 40. h. t.*
 Nam, cum ex Cælestino III. quæsitum fuisset, utrum, si Episcopus, vel alius Judex Ecclesiasticus, sententiam censuræ protulit contra aliquem, v. g. Titium; ut, si intra XX. dies læso non satisfecerit, ipso facto sit excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus; & Titius à lata sententia appellet, nec intra tempus præfixum satisfaciatur, inquam, censuram contrahat? Ad hoc respondit Papa, eum censuram non incurtere, sed, quòd appellatio hujusmodi sententiam censuræ impediatur, seu suspendatur.

Ratio decisionis est; quia non potest quis censuram incurtere, nisi obligetur sententiâ, seu præcepto exequendi id, quod sub censura ipsi præcipitur; at verò post legitimam appellationem interpositam, non obligatur quis præcepto, ac sententiâ Judicis: Nam, cum sententia censuræ lata sub conditione nihil operari possit, ante positam conditionem, à qua pendet, & tempore, quo impletur conditio, jam sit suspensa jurisdicção Judicis, seu Excommunicatoris; adeoque ipsa etiam sententia censuræ per appellationem; idcirco vim, seu effectum habere non potest; ergo, tametsi is, in quem censura lata est sub conditione, agat contra sententiam, ac præceptum, videlicet non restituendo, vel non satisfaciendo, intra tempus præscriptum; tamen censuram non incurrit. Sed neque peccare censendus est tali casu is, qui agit contra præceptum, & sententiam, non restituendo v. g. si, ut communiter fieri solet, non à sola sententia censuræ sub conditione lætæ, sed etiam ab ipso præcepto secundum se appellavit: ideo enim appellatur à censura; quia appellatur à præcepto, quod appellando præcipue intenditur, censura verò solum accessorie: alioquin parùm utilis foret appellatio, si excusaret à pœna, sed non à culpa: ergo, cum per

interpositam appellationem, non solum suspendatur censura, sed etiam præceptum, seu obligatio exequendi id, quod sub censura præcipitur: ideo post expletum terminum præscriptum in tali sententia, v. g. post XX. dies elapsos, si non restituatur, vel satisfiat, non solum non incurritur censura, sed neque peccatur, si præceptum non mandetur executioni; ut docet *Suar. dis. 3. de censur. sec. 6. n. 1.*

CCXXXIII. Sed hinc objici potest. Dispositio facta sub conditione, eâ positâ, & impletâ, purificatur, perinde, ac, si ab initio purè, & absolute facta esset. *l. Potior; 11. §. 1. ff. Qui potiores in pignore, &c.* ubi dicitur: Si sub conditione stipulatione factâ hypotheca data sit, quâ pendente, alius credidit purè, v. g. pecuniam, & accepit eandem hypothecam; tunc, si deinde prioris stipulationis existat conditio, is, qui prius sub conditione stipulatus est, potior erit: & ratio ibidem subjungitur: cum enim semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset; quia nimirum stipulatio, vel alia dispositio conditionalis per juris fictionem refertur, seu retrahitur, conditione postea existente, ad tempus, quo facta est; ut notat *Gl. fin. & DD. ibid.* Ergo similiter in proposito casu, si censura lata sit sub conditione in Titium, nisi intra XX. dies restituatur, vel satisfaciatur læso, isque intra hoc tempus non restituatur; adeoque conditio impleta sit, censeri debet perinde, ac si censura purè, & absolute lata fuisset: & consequenter appellatio, quæ post sententiam censuræ interposita fuit, nullam vim, & effectum habebit.

Verùm respondetur, quòd dispositio conditionalis, impletâ conditione, retrahatur ad tempus, quo facta est, si disponens id velit, ac velle possit, vel saltem debeat. Ut, si Titius uni puellæ promittat sub conditione, se eam ducturum in uxorem, si pater suus consenserit, & postea pendente conditione, alteri absolute promittat matrimonium, & conditio postmodum impleatur, patre consentiente, ut priorem ducat: hoc casu, valent priora sponsalia, perinde, ac, si ab initio inita fuissent purè, & absolute: non autem posteriora; quia Titius spondens non aliud velle potuit, quàm quòd, conditione impletâ, absolute velle eam ducere; adeoque debuit expectare eventum conditionis, nec alio modo se alteri puellæ obligare potuit, eique promittere matrimonium, nisi conditio priorum sponsalium defecerit, & pater Titii consensum negaverit. At verò in præsentî casu, Judex, qui censuram infligit sub conditione, si Titius intra XX. dies non satisfecerit, vel non restituerit, non vult, nec potest velle, ut impletâ conditione, sententia censuræ, v. g. excommunicationis retrahatur ad tempus, quo lata est: nam censura non potest inferri, nisi præcedat transgressio, & contumacia: si autem conditio posita sit, videlicet restitutio, vel satisfactio intra XX. dies non sit facta, sequitur, quòd transgressio, & contumacia, ante finitum illum terminum, concipi non possit (neque enim existit contumacia, ante tempus impletæ conditionis) & consequenter neque censura, ac proinde non potest etiam retrahi ad tempus, quo lata est: non enim æquum est, ut excommunicatus v. g. sub conditione veræ contumaciæ, eo tempore reputetur excommunicatus, quo nondum est contumax; ergo impletâ conditione,

& positâ contumaciâ, non potest retrahî excommunicatione. cum non censetur lata, ante eventum conditionis, nec prius personam eius, in quam lata est, ullo modo affecterit, vel ligaverit. *Covarr. in c. Alma mater* 3. p. 1. §. 10. n. 6.


CCXXXIV. Assertio secunda, à sententia censuræ sub conditione latæ appellari potest, etiam post elapsos X. dies, dummodo conditio adhuc pendens sit, & nondum impleta, ita, ut per talem appellationem suspendatur censura, prout tradit *Gl. in cit. c. Præterea*; 40. V. *Impedire*; h. t. *Covarr. c. l. n. 4. Suar. cit. sect. 6. n. 4. Avila p. 2. de censur. c. 5. dif. 5. dub. 11. post concl. 3. contra Abbatem in cit. c. Præterea*; n. 8. Idque probatur tum ex eodem c. ubi absolute & indefinite dicitur, medio tempore inter latam sententiam, & eventum conditionis appellari posse, ita, ut censura non incurrat: & ratio est; quia, qui præcipit aliquid sub censura incurrenda, nisi id fiat, pendente conditione, continuo gravat; & ideo semper à tali gravamine appellari potest, etiam post tempus à jure præfixum ad appellandum, donec conditio impleatur: tunc enim censura effectum suum statim consequitur; quia transit in absolutam, & executionem secum trahit, ita, ut ab illa appellari non possit, post impletam conditionem, etiam intra decendium. *e. Pastoralis*; §. 3. *Verum*; h. t. *Suar. c. l. n. 6.* At verò ab aliis sententiis conditionalibus appellari non potest, nisi intra tempus à jure præfixum, scilicet intra X. dies; quia sententia lata, impletâ conditione, retrahitur ad tempus, quo lata est, perinde, ac si ab initio absolute lata fuisset. v. g. si Judex pronunciet: Si percussus ex vulnere moriatur, talis pœna percussori infligatur: hoc casu, intra X. dies post latam sententiam appellari debet: nam, si conditio, seu mors eveniat, censetur sententia ab initio purè, & absolute lata esse; ideoque nisi intra decendium, postquam ea lata est, appellatum sit, non tenet appellatio, juxta l. 1. §. *Biduum*; ff. *Quando appellan. lit.* ubi dicitur, quòd sententia à Judice sub conditione (extrinseca, quæ negotium non contingit. *Gl. ibid. V. Sub conditione*) non sit ferenda: si tamen sub conditione feratur, validam esse, & tempus ad appellandum concessum numerandum esse à tempore latæ sententiæ, non autem positæ conditionis. Alia ratio est in sententia censuræ sub conditione latæ, quæ, cum requirit contumaciam, eaque reperiat solùm tempore impletæ conditionis; ideo non potest retrahî ad tempus, quo lata est sententia: ac proinde quocumque tempore, ante impletam conditionem, ab ea appellari potest; ut ex dictis patet. *Innocent. in cit. c. Præterea*; n. 4. *Decius ibid. n. 7. Avila c. l.*

CCXXXV. Assertio tertia. Si sententia censuræ lata sit sub conditione, v. g. in Titium, isque, pendente conditione, mutet domicilium, & forum, tunc conditio eveniente, incurret censuram, nisi ante impletam conditionem appellaverit; ut docet *Gl. fin. in cit. cap. Præterea*; h. t. Verùm hîc ulterius est distinguendum cum *Io. Andr. in c. Cum sunt*; 11. n. 19. de R. I. in Sexto. vel censura sub conditione lata est, per modum sententiæ judicialis in aliquem, ob factum præteritum, & commissum tempore prioris domicilii, & subiectionis (sive agatur de crimine aliquo, sive de contractu, aut beneficio) v. g. nisi Titius rem ablata intra mensem restituerit, in excommu-

nicationem incidat; hoc casu, sententia ejusdem Judicis hominem ligat, & constringit, ita, ut, etiam domicilium mutet, & aliò transferat; adeoque absolute subditus esse definat, tamen in ordine ad hanc causam subiectus maneat; quia per talem sententiam à Judice illo in ea causa præventus fuit, juxta c. pen. & ult. de foro compet. & consequenter etiam censuram sub conditione latam incurtere potest: sic intelligi debet *cit. Gl. fin. hic Suar. cit. dif. 3. §. 1. n. 5. & 6. Laym. de jurisdic. ordin. cond. 20.* Vel censura lata est à Superiore, per modum nudi præcepti, quo purè prohibetur, vel præcipitur aliquid in futurum sub tali censura, sine ullo ordine, aut respectu ad factum præteritum, v. g. si ab Episcopo Clerico prohibeatur sub censura, ne aleis ludat, publicis hospitibus frequenter &c. & is postea domicilium aliò transferat; tunc non potest censuram incurtere; quia cessat fundamentum, & ratio censuræ: nam, cum per mutationem domicilii definat jurisdictione, seu potestas præcipientis, vel prohibentis, etiam vis præcepti, & obligatio servandi illud à jurisdictione pendens definit; adeoque neque locum habere potest transgressio, vel contumacia. *Suar. cit. Sec. 1. man. ubi addit*, quòd hoc casu, nullus adit titulus, ratione cuius is, qui mutavit domicilium, maneat subditus, quoad aleam causam; cum nullum iudicium circa illam fuerit inchoatum, tempore prioris domicilii; adeoque non sit præventus.

CCXXXVI. Simili ratione, si lata sit censura in aliquem, nisi restituat, vel satisfaciat latam, intra mensem, & intra illum creditor condonari debetum, non incurrit debitor censuram; quia præceptum in hoc casu obligare definit. *Suar. c. l. n. 4.* Idemque dicendum, si excommunicatio v. g. lata sit in debitorem, nisi intra mensem solvat, & terminum temporis postea à creditore prorogetur, non incurrit debitor excommunicationem, etiam si intra illud tempus non solvat; quia terminus ille à Judice præfixus fuit, in favorem creditoris, cui is renunciare potest, sive in totum, sive ex parte, & quoad dilacionem. *Abb. in cit. c. Præterea*; n. 4. h. t.

Postremò hîc addendum, si censura lata sit sub conditione de non appellando, v. g. si Judex dicitur appellaverit, sit excommunicatus, & hîc potest appellare, non incurrit excommunicationem; ut docet *Silvest. in summ. V. Excommunicatio*; 2. n. 16. *Avila c. l. dub. 12.* quia excommunicationem debet præcedere appellatio, tanquam causa effectum, cum conditio debeat prius impleri; quam excommunicatio sub conditione inflicta incurrat: ea autem in proposito non est impleta: nam ante actum persequendum dicitur quis appellare, sed appellare velle; ideo appellando non incurrit excommunicatio, quæ veniens, & sequitur post appellationem, per quam suspenditur jurisdictione Judicis, Consentit *Abb. in cit. c. Præterea*; n. 15. h. t. saltem attentâ propriâ significatione verborum, & nisi aliter præsumi possit ex mente Excommunicantis, quòd intendat ligare censurâ, etiam ante actum appellationis perfectum.



§. IV.

De effectu appellationis devolutivo.

CCXXXVII. Assertio 1. Appellatio legitima parit, non tantum effectum suspensivum (quia suspendit sententiam, & jurisdictionem Iudicis prioris, quantum ad illam causam) sed etiam devolutivum. *Abb. in Rubr. h. t. num. 4.* ita, ut causa cognita ad Iudicem, ad quem appellatur, devolvatur, & ipse de iustitia appellationis cognoscere debeat, non Iudex à quo, & si, eam iustam esse, confiterit, ac legitimam, etiam causam principalem ipse cognoscere, ac definire possit, ac debeat. *c. Vi debitorum; §. 9. in fine, h. t. ubi Gl. V. Alioquin; ait: Si Iudex appellationis pronunciet, appellationem tenere, non ideo expirat eius officium, sed incipit postea cognoscere de causa principali, quæ ad ipsum per appellationem est devoluta. Interdum tamen appellatio non habet effectum suspensivum, sed devolutivum tantum; ut, si appelletur à sententia censuræ Ecclesiasticæ, quæ per appellationem subsequenter non suspenditur, si absolute sit infligta, & statim ligat eum, in quem lata est; quia trahit secum executionem. *c. Pastoralis; §. 5. Verum; h. t. c. Is, cui; 20. de sent. excom. in Sexto.* sed talis appellatio operatur effectum devolutivum duntaxat, devolvendo causam ad Superiorem, ad quem est appellatum. *Abb. in Rubr. h. t. num. 5. Silvest. V. Appellatio; num. 1. & V. Excommunicatio; ult. q. 1. num. 2.* Item, si appelletur à sententia nulla, per talem appellationem sententia prioris Iudicis non suspenditur, quippe, quæ omnino non subsistit, & nullius in rebus est: devolvitur tamen causa ad Iudicem Superiorem, ad quem est appellatum: & hoc sensu dicitur appellari posse à sententia nulla. *Abb. c. l. & in c. Dilectis; 63. num. 8. h. t. Silvester V. Appellatio; num. 1.**

CCXXXVIII. Assertio 2. Non solum causa principalis, sed etiam eius accessoria, sive, quæ illam consequuntur, per appellationem legitime interpositam deferuntur ad Iudicem appellationis; prout sumitur ex *c. Dilectis; §. 5. h. t.* ubi talis casus proponitur: Quidam Presbyter, sive Rector alicuius Ecclesiæ Diocesis Altiſſiodorensis quædam ex illa Ecclesia furtive subtraxerat, quæ cum restituere noller, Episcopus eum excommunicavit, dicens, in Ecclesiam illam, & Presbyterum plenam jurisdictionem ad se pertinere. Sed Decanus Ecclesiæ Cathedralis Altiſſiodorensis petijt, Presbyterum illum sibi restitui, eò quod suæ jurisdictioni subiectus esset. Tum Episcopus veritus, ne Decanus aliquid in suum præiudicium attentaret, se, ac suos, & statum Ecclesiæ, & Civitatis Altiſſiodorensis protectioni Metropolitanæ subiecit, & ad eum appellavit. Verum Decanus, posthabita hac appellatione, interdictum promulgavit, ut Episcopo in civitate præſente, à Divinis officijs in Ecclesia Altiſſiodorensi cessaretur: postea verò, cum partes ad diem præfixum coram Officiali Curie Metropolitanæ, ad quem appellatum fuerat, comparuissent, Decanus allegavit, ideo se appellationi Episcopi non detulisse; quia Presbyter adhuc in vinculis detinebatur: nihilominus tamen Officialis pronunciat, Interdictum illud irritum fuisse,

Tomus II.

quod Decanus post appellationem Episcopi promulgavit. His relatis, Innocentius III. respondit, quandoquidem Episcopus plures modos expressit, quibus paratus erat Decano, propter capturam Presbyteri, iustitiam exhibere (ut, quod vellet dimittere Presbyterum præſtita cautione de restituendis rebus Ecclesiæ ablatis, vel, si Decanus probaret, Ecclesiam illam, & Presbyterum suæ jurisdictioni subiectum esse, vel similibus modis, & ita iusta fuit appellatio Episcopi. *Gl. hic V. Diversos modos; junct. Gl. marg. lit. c.*) & insuper ad Metropolitanum appellavit: ideo non potuisse Decanum Interdictum promulgare, sed illud irritum esse, non obstante, quod quasi variando dixerit, se Interdictum promulgasse, priusquam Episcopus appellaverat, & se eiusdem interdicti sententiam ad tempus suspendisse; quia pendente appellatione, non poterat Decanus ad executionem sententiæ procedere. Præterea ipse Papa processum Officialis adversus Decanum decernens, Interdictum post appellationem promulgatum irritum fuisse, temerarium esse, declaravit: nam, cum Decanus prius ad Pontificem appellavit, nihil debuit post appellationem innovari. Poterit, tamen, quod Decanus Episcopum excommunicavit; quia Interdictum tollere noluit, id primâ facie rectè factum esse, videatur, cum Officialis prohibuerit, ne Interdictum servaretur: Decanus verò prohibendo, ne in Ecclesia celebraretur, Divina officia perturbaverit; quia tamen prædicta excommunicatio in Decanum, post appellationem ab eodem ad Papam interpositam, est prolata, cui etiam Officialis deferbat, Apostolos concedendo; ideo non tantum negotium principale, sed eius accessoria quoque ad Sedem Apostolicam devoluta fuerunt, & consequenter sententia excommunicationis post appellationem huiusmodi promulgata, viribus caret. Denique, licet Archiepiscopus Curienſis, seu Metropolitanus Decanum, non obstante eius appellatione ad Sedem Apostolicam, propter excommunicationem à suo Episcopo ipsi infligta, denunciaverit esse vitandum: tamen Canonici Senonenſis, sive Metropolitanæ Ecclesiæ, eidem Decano rectè communicarunt; quia sanctorum duæ consilio, potius appellationi ad Pontificem interpositæ deferendum esse, censuerunt, quam denunciationi à Metropolitano factæ se conformare.

CCXXXIX. Pro declaratione huius c. Notandum primò. Iudex Ecclesiasticus potest repetere suum subditum, qui ab alio iniuste detinetur; quia suum interest, partim, ne iudicium eius violetur, partim ut possit subditus præſtare debita sibi, & Ecclesiæ suæ servitia, & onera, sicut etiam Magistratus secularis potest repetere subditum suum, ut possit subire munera, seu onera personalia. *l. De iure; 37. ff. ad municip. Abb. hic num. 4. Alex. num. 11.*

Notandum secundò. Superior potest appellare, non solum pro se, sed etiam pro subditis suis, si gravamè tendat in præiudicium etiam subditorum; ut patet ex hoc c. nam, cum spectet ad Episcopum, ne populus careat Officijs Divinis; ideo intererat ipsius etiam propter subditos, ne Interdictum illud promulgaretur, *Abb. hic num. 6. & Alex. num. 13.*

Notandum tertio. Prælati inferior Episcopo potest ex speciali privilegio, vel consuetudine legitime

M m m

præ.

De attentatis, appellatione pendente, eorumque revocatione.

præscripta habere jus interdicendi etiam Ecclesiam Cathedralē, ut colligitur ex hoc c. licet de jure communi id non possit; nam potest ex jure speciali inferior acquirere jurisdictionem Episcopalem in certa parte Diocesis, etiam excluso Episcopo, ut patet ex alibi dictis: sic in casu huius c. Episcopus prævenit Decanum, capiendo Presbyterum, & tamen Decanus repetebat illum tanquam suæ jurisdictioni tantum immediatè subiectum. *Abb. hic num. 2. & Alex. num. 10.*

CCXL. Notandum quartò. Licet aliàs spectato jure communi, si Episcopus litem habeat cum Clerico suo, & causa civilis sit, coram Arbitris ab utraque parte electis, c. Si Clericus; 46. causa 11. q. 1. vel si causa criminalis sit, in Concilio Provinciali cognoscenda, & definienda sit. c. 2. causa 9. q. 3. & c. Sicut; 25. de accus. potest tamen Episcopus in casu aliquo speciali, si à subdito suo extrajudicialiter gravetur, provocare ad Metropolitanum; ut patet ex hoc c. ubi Episcopus, lite exortà inter ipsum, & Decanum ipsi subiectum, appellavit ad Metropolitanum; quia nimirum, si Clericus subiectus statum Ecclesiæ Cathedralis, seu Communitatem Diocesanorum turbare nitatur, tali casu, ad Archiepiscopum extrajudicialiter provocari potest; quia Ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ requirit, ut, licet aliàs ordinariè Archiepiscopus non sit Iudex subditorum sui Episcopi Suffraganei; si tamen periculum sit in mora; quia ad Papam pro remedio statim recurri non potest, neque in Provincia sit Legatus Apostolicus, neque expectari possit, donec Concilium Provinciale celebretur, hoc casu, Archiepiscopus Iudex esse possit, si lis orta sit inter Episcopum, & subditum. *Laym. de juridict. Ordin. conclus. 81. & videri potest hic Abb. num. 7. 8. & 9. & Alex. num. 17.*

Notandum quintò. Per appellationem legitimè interpositam causa principalis, unà cum accessorij, devolvitur ad Iudicem appellationis; ut habetur in hoc c. ubi, ut notat *Gl. V. Principale; captura Presbyteri ab Episcopo facta*, fuit negotium principale: interdictum verò à Decano promulgatum, post appellationem ad Metropolitanum interpositam, eiusque interdicti observatio, & alia erant accessoria; ideòque non solum causæ principalis, sed etiam aliorum accessoriorum cognitio devoluta fuit ad Sedem Apostolicam, ad quam fuerat appellatum; quia idem juris esse debet in accessorio, & in principali. *Arg. Reg. 22. in 6.*

Notandum sextò. Sententia interdicti, quæ lata est sub conditione, vel in diem, per appellationem medio tempore interpositam, ante positam conditionem, vel diem suspenditur, licet sententia excommunicationis non possit suspendi. c. Pastoralis; § 3. §. Verum; h. t. *Gl. hic V. Suspendendum; & Abb. num. 22. Alex. num. 19.*

Notandum septimò. Qui post legitimam appellationem est excommunicatus, & denunciatus, non debet à fidelibus vitari; quia appellatio obstat, cum, illà pendente, nihil sit innovandum; ut patet ex fine huius c. Veruntamen in dubio, num appellatio sit legitima, necne, potius standum est denunciatione Prælati, eum esse excommunicatum, quam appellatione; adeòque is vitandus erit. *Gl. fin. hic, & Alex. ibid. num. 32.*

Alius effectus appellationis est, quòd illà pendente, nihil sit innovandum, & si quid innovatum fuerit, revocandum sit, l. unic. ff. Nihil innovari, appellatione interposità; ubi tamen distinguendum est inter appellationem à sententia definitiva, & ab interlocutoria; ut hoc §. explicabitur.

CCXLI. Assertio 1. Si appellatum sit à sententia definitiva, debet Iudex appellationis, ante omnia (exceptis casibus, quibus jura post sententiam prohibent appellare) penitus revocare, non tantum ea, quæ post appellationem interpositam, sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, & appellationem, innovata, & mutata sunt, perinde, ac si post eandem appellationem innovata fuissent, dummodo postea intra decem dies appellatum sit; prout statuitur in c. Non solum; 7. a princ. h. t. in 6. Ratio autem, cur, pendente appellatione, non possit aliquid innovari per Iudicem à quo est; quia appellatio eximit appellatum ab eius jurisdictione quoad illam causam, de qua pronunciatum est, eamque suspendit; ideòque, quòd interim attentat, vel mutat, censetur factum à Iudice incompetente. *Anchar. hic in princ. Com. pract. qq. c. 23. num. 1. consentit Gl. Recepta; in Venientes; § 19. V. Possessionem ipsam; de jurat. in ai.* Cum appellatur à sententia definitiva, si ea appellatione pendente, fuit executio mandata, Iudex appellationis debet revocare, quidquid factum à post appellationem, etiam antequam cognoscatur, appellatio sit iusta, vel iniusta; quia, quando appellatur à definitiva; tunc articulus appellationis non est distinctus à causa principali: ideo enim appellatur; quia appellans putat, se per definitionem causæ principalis esse gravatum; & sic non requiritur, ut justificetur causa appellandi, etiam quoad revocationem attentatorum, sed ea ante omnia revocantur, non prius discussio appellationis articulo. *Præter, hic num. 1.* Porro etiam attentata, si innovata, ante appellationem, & post sententiam definitivam, intra tempus à jure concessum, quo condempnatus appellare potest, revocanda sunt. Ratio est; quia appellatio in proxima potentia, si in habita idem operatur, quod appellatio actu interposita, nam paria censentur, aliquid in actu esse, sive existat, vel esse in eo statu, quòd proximè produciatur in esse, & eiusdem rationis sunt, jus, quòd est in proxima potentia, & quòd est in re. *Anchar. hic not. 4.*

CCXLII. Notandum hic præterea, quod attentata, seu innovata non sunt ante omnia revocanda, etiam pendente appellatione, in illis casibus in quibus appellatio jure non est admittenda, nisi sententiam; ut habetur in hoc c. & ibi *Gl. V. Casibus*; quia tunc appellatio nullum operatur effectum, nec suspensivum, nec devolutivum regulariter; quæque non est, cur attentata revocentur. *Covarr. num. 4. §. Sextò.* Tales autem casus sunt, ut

condemnatu contumax fuit in non veniendo, vel famosus latro, vel criminofus notorius, & alij fimiles, de quibus in c. *Ei, qui*; 41. §. *Sunt etiam* 3. *cauf. 2. q. 6.* quia in his iniquum foret, fi per appellationem impeditur executio fententiæ; cum talibus appellationibus non fit deferendum. *Gl. hic V. Cafibus.*

Notandum fecundò. Etiam in appellatione à definitiva non poffunt revocari innovata poft illam; nifi priùs conftet, definitivè pronunciatum effe, & appellatum, & poftea attentatum, feu innovatum aliquid; ut tradit *Gl. hic V. Ante omnia*: Unde petens revocari attentata, hæc tria probare debet; ut refert *Mafcar. de probat. concl. 1278. n. 1.*

Notandum tertio. Ut attentata poft fententiam definitivam, ante appellationem, revocari poffint, requiritur etiam, ut intra decem dies poftea appellatum fit: nam, fi poft illos appellatum fuiffet, non valeret appellatio, nec prætextu illius revocarentur attentata, feu mutata; ut conftet ex hoc c. *junct. Gl. V. Decendum*; poftquam verò Judex ad quem cognovit, intra decem dies appellatum fuiffe, inhibitoriæ mittit Judici à quo, ne ad executionem fententiæ procedat: nam ad officium illius fpectat, ut omnia poft fententiam, & appellationem innovata refcindantur, priùsquam cognofcere incipiat, an bene, vel malè judicatum fuerit. *Gl. magn. in cit. c. Non folùm; in notatis not. 1.* Porro, ficut quoad appellationem idem dicendum de pura definitiva, & de interlocutoria vim definitivæ habente, ita etiam quoad revocationem attentatorum. *Franc. hic n. 3.*

Notandum quartò. Quamvis attentata, pendente appellatione, ante omnia revocanda fint: fi tamen altiore indaginem requirant, & incontinenti probari non poffint, tunc per attentata caufa principalis non fufpeditur, nec impeditur, fed quæftio principalis, & attentatorum fimul tractari debet; alioquin Judex appellationis ex officio, etiam parte non petente, talia attentata revocare poteft; quia per attentata magis Judex, quam pars litigans offenditur. *Gail. lib. 1. obf. 146. num. 1. 2. & 7.*

CCXLIII. Affertio 2. Si appellatum fit, ante fententiam definitivam, videlicet ab interlocutoria, aut gravamine; tum Judex appellationis non debet revocare innovata poft eam appellationem, nifi priùs conftiterit, caufam appellandi legitimam, & veram fuiffe. Excipi debet, præterquam, fi Judex appellationis (poftquam allegatà coram fe caufà probabili, per interpoftam appellationem ad fe negotium devolutum effe, ipfi conftiterit) canonicè inhibeat Judici, à quo appellatum fuit, ne procedat; tunc enim quæcumque poft hanc inhibitionem innovata funt (licet caufa, propter quam appellatum fuit, non fit vera) per eundem Judicem appellationis, ante omnia, in priftinum ftatum reduci debent; prout deciditur in *cit. c. Non folùm; §. Illa verò; h. t. in Sexto.*

CCXLIV. Ubi inprimis notandum eft, differentiam effe, quoad tempus revocandi attentata, inter appellationem à fententia definitiva, & ab interlocutoria; quia in priore debent ftatim, & ante omnia attentata revocari; non autem in pofteriore, nifi priùs fuerit ipfa appellatio iuftificata, & conftiterit, vel probetur, caufam appellandi veram effe. Ratio differen-

Tomus II.

tia eft; quia per fententiam definitivam finitur officium iudicis à quo, & devolvitur tota caufa ad Iudicem ad quem, & per illum ftatim fufpeditur iurisdicctio Iudicis, abfque ullà iuftificatione caufæ appellandi. At verò in appellatione ab interlocutoria exprimenda eft caufa rationalis, propter quam appellatur. c. *ut debitus* 59. *h. t. Covarr. præf. qq. c. 24. num. 1.* eaque probanda eft, ut fufpenfa fit iurisdicctio Iudicis inferioris, qui fententiam tulit, quoad effectum revocandi attentata, à quo provocatum fuit tum quia ex alia caufa, vel ex novis, aut noviter probandis non poteft in tali appellatione Iudicis interlocutoria impugnari. *Clement. appellanti; §. h. t. nec fufficit caufam appellandi effe probabilem, nifi fit vera, c. Interpofta; 70. in princ. h. t. unde necesse eft, ut priùs conftet de veritate caufæ appellationis, & ex eventu litis fciantur, an attentata fint revocanda, necne. Gl. in cit. §. Illa verò; V. Ante definitivam; Anchar. ibid. not. 6. Franc. num. 5.*

Notandum fecundò. Ut innovata poft appellationem ab interlocutoria, ftatim, ante omnia, revocentur, requiritur, ut poft inhibitionem à Iudice appellationis factam Judici à quo, ne in caufa procedat, fuerint attentata, feu innovata; etiam fi poftea conftet, caufam appellationis non effe veram, five veritas caufæ probata non fuerit, fed pronuncietur, malè appellatum effe. *cit. §. Illa verò; in fine, & hoc operatur inhibitio, Franc. ibid. num. 5. in fine.* Debet autem hæc inhibitio effe legitima, feu Canonica, ut dicitur in textu, nempe facta, præviâ caufæ cognitione, ad hoc, ut appellatio fit recipienda ex caufa probabili. *Covarr. in cit. c. 24. num. 3.* Porro alia exceptio eft, fi Judex à quo detulit appellationem; tunc enim iurisdicctio ipfius, tam fuper caufa principali, quàm appellationis, eft transfufa in Iudicem Superiorem. c. *Cum appellationibus; §. h. t. in Sexto.* adeoque omnia poftea acta à Iudice à quo funt refcindenda. *Gl. hic V. Nifi Judex; & Ioan. Monach. num. 7.*

§. VI.

Alia quadam observanda circa revocationem attentatorum, post appellationem, proponuntur.

CCXLV. Affertio 1. Remedium revocandi attentata (sic dicta, eò quòd, quæ ita facta funt, non valent, ut verè facta, fed habentur tanquam conatus ad faciendum imperfecti, five tentata, num fieri poffent, *Greg. Tholof. partit. Lur. Can. lib. 2. tit. 15. c. 7.*) habet locum, non folùm in appellatione iudiciali, fed etiam extrajudiciali, fi caufa appellationis iufta, ac probabilis fuerat; quia non folùm lege prohibitum eft, aliquid innovari, pendente appellatione, *l. unic. ff. Nihil innovari; appellat. interpoft.* fed etiam generaliter, lite pendente. c. *1. & 2. ut lit. pend. nihil. innov.* ideòque, cum appellatio extrajudicialis fit faltem provocatio ad caufam, c. *Cum fit; §. Si verò; h. t.* etiam litis pendentiã inducit; ac proinde quod poft illam

M m m m 4

illam innovatur, rectè, lite pendente, innovari dicitur; & per consequens etiam revocari debet. Verumtamen hoc est discrimen inter appellationem judicalem, & extrajudicalem: nam in priore appellatione omnia attentata, seu acta post illam à Iudice à quo, si justa fuit appellatio, rescindere debet; quippe cum per illam suspensa sit jurisdictio Iudicis inferioris, quoad omnia concernentia illam causam, etiam si, quæ acta sunt, non sint contra ipsam appellationem. *c. Non solum*; 7. *in princ. h. t. in 6.* At verò, quæ attentata, seu facta sunt, post appellationem extrajudicalem, ea non rescinduntur, nisi facta sint in gravamen, seu impedimentum appellationis; & sic contra illam, etiam si appellatio iusta sit; quia, cum extrajudicialiter, procedatur per illam non suspenditur jurisdictio Iudicis inferioris; & ideo non revocatur, nisi illud solum, quod factum est contra appellationem, & non alia. *Innocent. in c. Cum nobis*; 19. *num. 2. de elect. Abb. in c. 1. num. 4. h. t. Felin. ibid. num. 1. Alex. de Nevo num. 10. & 11.* Exemplum habetur in *c. Cum nobis*; si appellatum sit, ne fiat electio contra Canones, & postea Capitulares Canonice eligant, valet electio, de quo dictum *supr. lib. 1. tit. 6. num. 136.* Item, si appellatur à vero provisorio, sive executore Rescripti Apostolici, ne conferat præbendam non vacantem; ipse verò postea conferat, valida est collatio. *Innoc. c. l.*

CCXLVI. Similiter, si post factam appellationem ex causa probabili, is, à quo appellatum est, conferat beneficium, collatio est ipso jure nulla; ideòque revocari debet, tanquam facta post, & contra appellationem; prout decidit in *c. Dilecti*; 1. *h. t.* Vbi habetur, quòd Prior, & Canonici Gisebergenses quatuor querelas, seu gravamina attulerunt ad Papam Alexandrum III. contra Eboracensem Archiepiscopum Legatum Sedis Apostolicæ, quòd, post appellationem ab ipsis ad Papam interpositam, Priorem suspendit, Ecclesias illius interdixit, & Canonicos, si Priori obedirent, excommunicatos esse, denunciavit; ac denique, quòd Ecclesias Parochiales spectantes ad collationem Prioris, & Conventus, tanquam ad ipsum propter negligentiam conferendi essent devolutæ, ipsemet contulerit &c. quamquam hoc ultimum gravamen non sit expressum in textu, sed erat in antiqua compilatione, & habetur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. p. 10. c. 1. & 2. juxta *Gl. marg. hic.* Et quamquam ad quatuor has querelas una responsio dari potuisset, nimirum, quòd omnia, quæ post extrajudicalem appellationem facta, seu attentata sunt, & contra illam, revocanda sint, juxta *cit. c. Cum nobis*; de *elect.* voluit tamen Papa, brevitas causa solum decidere quartum gravamen; quia satis potest ex responsione colligi interrogatio; ut notat *Gl. magna hic.* Itaque ad hoc ultimum gravamen respondit Papa, & mandavit Iudicibus delegatis, ut veritatem rei per idoneas personas (duos, vel tres testes, *Gl. hic V. Per idoneas*) & famam sollicitè inquirent (unà cum alijs administriculis, seu legitimis indicijs; quia fama per se sola non sufficeret. *Gl. hic V. Famam*) & si Ecclesiarum collationes ab Archiepiscopo factas (post appellationem à Priore priùs interpositam

cognoverint, eas Auctoritate Apostolica in iustum revocet: nisi Prior, & Canonici, abique legitimo impedimento; adeòque malitiosè (ut v. g. redivus Ecclesiarum ipsimet perciperent) aut ex negligentia (ultra 6. menses) eas conferre dilataverint, contra *c. Quia*; 5. *de concess. præbend. tunc* enim potestas conferendi eas Ecclesias, vel beneficia devoluta fuisset ad Archiepiscopum, si exactissimus Superior Capituli, & Collationes ab eo factæ valuissent. *Gl. fin. hic junct. Gl. marg. ibid. de appellatio* ab eo facta fuisset probabilis. *Abb. hic num. 1.*

CCXLVII. Addendum hic primo, quòd potest quis appellare contra actum, ne fiat, extantibus actus ille expressè sit nullus, & invalidus. *Arg. Dilecto*; 63. *h. t. v. g.* ne Archiepiscopus beneficium conferat, cum non habeat conferendi potestatem; & tunc appellans probare debet, quòd collatio facta sit post appellationem; quia hoc est fundamentum probationis. Verumtamen etiam appellans ante appellationem esse factam, adhuc agere potest per viam nullitatis, dicendo, collationem fuisse nullam, & declarandam esse irritam; quippe quæ facta sit à non habente potestatem conferendi; & hoc casu huius c. collatio beneficij etiam sine appellatione fuisset nulla, ob defectum potestatis; quia potestas conferendi non erat devoluta ad Archiepiscopum, ob negligentiam inferiorum collatorum. *Abb. hic num. 5.* Secundo, quamvis regulariter gestæ appellationem extrajudicalem non sint ipso jure nulla, sed cassanda sint, *c. Consideravimus*; 1. *de elect.* excipi tamen debent scientie censuratum, quæ lata post appellationem extrajudicalem, non solent. *c. Per tuas*; 40. *de sent. excomm. c. Cum collatio*; 36. *de offic. deleg. Alex. hic num. 9.*

CCXLVIII. Aliud præterea discrimen inter appellationem judicalem, & extrajudicalem est, quòd in priore, ut attentata, seu innovata revocatur, necesse sit, appellationem esse intimatam Iudici, & parti: nam aliàs Iudex, & pars, si ignorent appellatum esse, possunt de jure procedere in causâ, ut revocantur tunc per eisdem attentata: secus est in appellatione extrajudicali; quia in illa revocantur, etiam si non fuerit eis intimata appellatio. *Morus, de ord. judic. p. 6. de appellat. num. 391. & seq. ubi etiam* ait, quòd non possit fieri revocatio attentatorum, nisi causâ cognitâ, & parte citatâ: potest autem post revocatio attentatorum in quacunque parte iudiciali, usque ad conclusionem in causa, & non ultra. *Morant. c. l. num. 392. Gail. lib. 1. obs. 146. num. 10.*

Denique aliud adhuc discrimen inter utramque appellationem est, quoad revocationem attentatorum, quòd extrajudicialis erga quemvis etiam non Iudicem tendere potest; & consequenter, est pendente, nihil mutari, seu innovari debet à parte, contra quam facta est appellatio, v. g. contra Canonicos, ne in electione procedant, juxta *c. Bone*; 2. *de elect.* alioquin, quidquid actum est, directè tendit contra Iudicem, ut is nihil interea muret, vel innovet: indirectè verò etiam tendit erga partem, ut nihil agat, per quod status causæ immutetur, juxta *c. Cane*; 17. *h. t.* ex quo colligitur, quòd Iudex appellationem potest inhibere partibus, ne appellatione pendente

quidpiam attentent, seu imitent, & ordine judiciario summarie cognoscere super attentatis, & qua illegitimè innovata sunt revocare, secundum *Gl. in Clement. 2. V. Cum lite; Ut lite pendente &c.* Sicut ergo Judex, à quo appellatum est, pendente appellatione, nihil debet immutare, ita etiam prohibere debet, ne à parte aliquid mutetur, vel attentetur, & si quid attentatum sit, revocare, de quo videri potest *Abb. in c. Dilectæ; 10. n. 4. de except.* ubi ait, quod appellatio extrajudicialis tendit erga partem, ne quid innovet: judicialis verò erga Judicem, contra quem principaliter est inductum remedium, ut appellatione pendente nihil innovetur, per quam suspensa est jurisdictio prioris Judicis.

CCXLIX. Assertio 2. Attentata sunt, vel à Judice, vel à parte, & utroque casu, ante omnia revocanda sunt, quòd si à parte fiant, multum refert, utrum appellans, an verò appellatus attentet, vel innovet aliquid: nam, si appellans attentet aliquid, quòd sit immediatè contrarium appellationi ipsius, ut, si pendente appellatione, adversarium spoliet suà possessione, de qua lis est, eo ipso propria auctoritate sibi ipsi jus dicendo, Judicem appellationis contempnere censetur; adeoque beneficium appellationis indignum se reddit: frustra enim invocatur auxilium legis, qui committit in legem, *c. Bonæ; 23. de elect.* quin & attentando aliquid contra propriam appellationem, non censetur ei detulisse, sed illi renunciassè, eamque defervisse: quare hoc casu sententia, à qua appellatum, statim transit in rem judicatam, ita, ut Judex à quo, perinde, ac si appellatum non esset, ad executionem procedere possit. Secus autem est, si attentata non sint contraria appellationi: tunc enim revocari debent. *Gail. cit. obs. 146. num. 11. 12. & seqq.* Si verò appellatus, vel Judex à quo pendente appellatione, aliquid attentent, vel innovent, ea revocari, & cassari debent, & in expensis condemnantur præstandis appellanti.

CCCL. Assertio 3. Si ante litem contestatam Judex aliquid innovet circa principale negotium, vel sine justa causa, diem ex partium consensu ad litigandum ab ipso assignatum præveniat, licitè appellatur, & quæ post appellationem attentata sunt, in irritum revocanda sunt; prout sumitur ex *c. Significante; 69. h. t.* ubi talis casus proponitur: Decanus, & Capitulum Magdunense impetravit litteras delegationis ad quosdam Judices, contra Episcopum Aurelianensem, eò quòd ipsi jus non competat, ut laniones ipsius carnes alibi vendant, quàm in tabernis Capituli. Cum autem Decanus, & Capitulum coram Judicibus delegatis comparuissent, officium Iudicum implorârunt, ut, quoniam idem Episcopus, post citationem, carnes in alijs locis vendi jufferit, quod per ipsum factum est, in pristinum statum reducat. Sed ex parte Episcopi fuit propositum, quòd, cum lis super negotio principali nondum sit contestata, non habeat locum huiusmodi officij imploratio: & insuper adijciebatur, quòd, cum ex partium consensu certus terminus temporis assignatus sit; ideòque usque ad illud tempus iudicium solum sit, sive suspensum, non possint Iudices terminum hunc præveniendo, absque utriusque partis consensu, partem adversam audire. Sed, quia Iudices op-

positiones istas admittere noluerunt, Episcopus ad Sedem Apostolicam appellavit, & idcirco procuratorem misit ad appellationem intra annum prosequendam. Verùm, quia procurator ille (uti credibile est) circumventus, contra ipsius Episcopi inhibitionem litteras impetravit ad certos quosdam Judices sibi in hac re suspectos; ideo ipse Episcopus ijs litteris uti noluit, sed perijt à Papa, ut non obstante lapsu anni, ad prosequendam appellationem admittatur. Quamobrem Gregorius IX. alijs Judicibus delegatis mandavit, ut, si ipsis de huiusmodi inhibitione procuratori facta, & de prædictis causis appellationis, vel alterà earum constiterit, in irritum revocent, quæ post appellationem attentata sunt, & postea secundum priorum litterarum Apostolicarum formam, seu tenorem, in ipso negotio procedant.

CCCLI. Pro intellectu huius c. Notandum primò. Si non constet, sed dubium sit, uter ex duobus litigantibus sit in possessione rei, de qua est lis, seu controversia; quia uterque dicit, se esse in possessione; tum ante litem contestationem, priusquam constet, Actorem esse in possessione, non potest is officium Iudicis implorare, ut attentata revocet, sive ut prohibeat, ne adversarius actus possessorios exerceat: debet enim prius constare, quis sit possessor, de quo constare non potest, nisi servato ordine judiciario; ideòque prius fieri debet litem contestatio. At verò, si constet indubitatè, quis sit in possessione rei, in qua ipse turbatur; tum etiam ante litem contestatam possessor potest petere à Iudice, ut ex Officio prohibeat adversario, ne eum in sua possessione turbet, seu molester; ut in casu huius c. ne Episcopus Capitulum turbet in quasi possessione, ut carnes vendantur in proprijs eorum tabernis, & non in alijs, quòd jus fortè obtinuerunt Capitulares per consuetudinem legitime præscriptam, vel speciale privilegium, cum alijs jure communi quilibet in suo fundo possit macella, & tabernas ad vendendum erigere. Si ergo indubitatè constet, quòd Capitulum fuerit in quasi possessione huius juris, potuit implorare officium Iudicis, ne in illa turbetur, & quidem etiam ante litem contestationem; quia lite pendente nihil debet innovari, sed omnia attentata sunt revocanda ex Iudicis Officio; etsi nulla litem contestatio præcedat: nam lis dicitur pendere, quoad revocationem attentatorum, quando facta est citatio. *Clement. 2. V. lite pendente &c. Abb. in hoc c. num. 6. & Alex. num. 19. & 20.* neque verò is, qui in possessione est rei, vel juris, de quo est controversia, censendus est attentare, vel innovare, si pendente lite, vel appellatione, eà utatur, tamen tale jus sit contra intentionem Actoris, seu jus ab ipso deductum in Iudicium, adeòque neque talis usus possessionis inter attentata, quæ rescindi debeant, numerari debet. *Abb. hic num. 3. Alex. num. 9.*

Notandum secundò. Si Judex, ex partium litigantium consensu, delationem concessit, non potest eam revocare, nisi utraque parte consentiente, vel nisi superveniat justa causa revocandi, ob quam terminus datus breviari, vel prorogari potest; quia aliàs ordinariè, pendente dilatione, Iudicis officium conquiescit. *Gl. in cit. c. Significante; V. Prævenire; Abb. ibid. num. 4. Alex. num. 20. & 21.*

Notandum tertio. Si procurator missus ad prosequendam appellationem intra annum, excedat fines mandati, etiam post elapsum annum, appellans admittitur; quia procurator excedens fines mandati non præjudicat domino; ideoque ei non obstat lapsus anni, nec debet ob culpam procuratoris privati secundo anno ad prosequendam appellationem. *Gl. hic in notatis. & V. De inhibitione; Abb. n. 4. & Alex. num. 32.*

Notandum quarto. Si quis appellet ex pluribus causis copulativè deductis in libello, sufficit ad iustificandam appellationem, si unam tantum causam probet; ut colligitur ex hoc c. ibi: *si de præmissis causis appellationis, vel de illarum altera constiterit*; quia quando plura mandantur conjunctim, quorum unum per se sufficit; tum satis est, probare alterum. *Gl. ult. hic in fine. Abb. n. 5. Alex. n. 13.*

§ VII.

Quà ratione attentata, seu innovata, post appellationem extrajudicalem, sint revocanda, & de privilegiis, quæ competunt remedio revocandi attentata.

CCLII. Assertio I. Sicut omnia attentata, seu innovata contra pendentem appellationem judicialem sunt revocanda: ita etiam attentata, & immutata contra licitam, & legitimam appellationem extrajudicalem revocanda sunt, & restituenda in eum statum, in quo erant tempore appellationis factæ. *Abb. in c. Bone; § 1. num. 10. h. t. & Alex. de Nevo ibid. num. 55.* ac proinde, si quis extra iudicium ex verisimilibus, & probabilibus causis appellet, ne in possessione molestetur, & postea spoliatus, ante omnia restituendus est in pristinum statum, in quo erat tempore appellationis interposita, ita, ut per viam attentati agere possit, non tantum adversus attentantem, seu spoliantem, sed etiam adversus quemlibet, sive male, sive bonæ fidei possessorem, & fructus percepti eidem restitui debeant, salvo manente utrique parti jure proprietatis; prout sumitur ex *cit. c. Bone; § 1. h. t.* qui est casus illius c. ubi habetur, quod mortuo O. qui personatum in Ecclesia F. obtinuerat, Abbas S. Augustini Cantuariensis, possessionem eiusdem Ecclesie F. quam ad se pertinere dicebat, primò per Monachos suos, deinde per se ipsum occupavit, & aliquoties ad Papam appellavit, ne quisquam eum super possessione illius turbaret. Verùm, cum aliquandiu in quietà eius possessione fuisset, laici quidam Diocesis Cantuariensis ipsum, & Monachos per vim inde eiecerunt, quam Ecclesiam Archidiaconus Cantuariensis postea cepit possidere. Quare Abbas, & Monachi dictæ Ecclesie possessionem sibi restitui petierunt, cum fructibus perceptis, à qua post appellationem erant dejecti. Re delatà ad Papam Innocentium III. procurator Archidiaconi ex adverso proposuit, quod defuncto Rectore Ecclesie, secun-

dum generalem consuetudinem Diocesis, tum illius, tum aliarum Ecclesiarum vacantium custodia ad Archidiaconum pertineat; tum quia Archidiaconus possessionem civilem eiusdem Ecclesie semper animo retinebat, & sic eam Abbas, & Monachi habere non poterant, cum duo in eodem rem eandem simul possidere non possint; prout habetur in integra lectione huius c. tum quòd defunctus O. Ecclesiam illam nomine Archidiaconi possederat, siquidem ei unam procuratoriam, & quinque solidos quot annis, nomine Ecclesie, solvebat: ex quo colligitur, quòd Abbas, & Monachi corporalem tantum, & clericalem possessionem habuerint. Quare Archidiaconus ipsos ad defendendam possessionem suam per vim eiecerit, absque injuria potuisset; quavis id non fecerit, sed tantum sibi competentem possessionem occupaverit. Appellatio quoque Monachorum penitus nulla fuit, cum non nisi à gravamine præterito, præsentis, vel futuro possit appellari: Archidiaconus autem nec ante, nec post appellationem eos gravavit, cum solum in custodia, sicut ex officio poterat, & debebat, Ecclesiam acceperit. Sed neque appellationi Monachorum deferendum erat; quia, etsi Ecclesia ad eos pertinuisset; non tamen propria auctoritate possessionem capere debuissent; quia, cum claudicantini, non veri fuerint possessores, non poterant eis super possessione injuria irrogari. Verùm, quia hæc, quæ allegata sunt ex parte Archidiaconi, probata non sunt; ideo Papa mandavit, ut Abbas, & Monachi in eum statum reducantur, in quo erant tempore appellationis, quæ ex probabilibus causis legitimè interposita fuit, & fructus intermedium temporis eidem restituantur, salvo manente utrique parti jure proprietatis.

CCLIII. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Quavis non valeat generalis appellatio judicialis, valet tamen extrajudicialis, cum generalis sit, ita, ut, si ex probabilibus causis facta, devolvatur negotium ad Judicem superiorem, & omnia postea attentata contra appellationem revocentur per viam attentati, nec admittantur exceptiones concernentes defectum proprietatis. *Alex. de num. 7. not. 5. & n. 8. not. 6.* Ratio autem diversitatis, quoad hoc, inter appellationem judicialem, & extrajudicalem est; quia à futuro gravamine non potest appellari judicialiter; potest tamen extrajudicialiter; ut patet ex hoc c. & *Clemens. Sixti; § 1.* ideoque potest etiam interponi generalis appellatio; quia futurum gravamen non est certum. *Alex. hic n. 8.*

Notandum secundò. Si appellatio extrajudicialis generaliter sit interposita, ut in casu huius c. & ipse appellans fuit privatus sui possessionis, pendente appellatione; tunc per viam attentati agi potest, non tantum contra spoliantem, sed etiam contra quemlibet tertium, cum bonæ fidei mediatum possessorem, qui rem spoliatam detinet, in præjudicium appellantis spoliatus sic contra appellationem facit, etiam si ipse non possidet; ut patet ex hoc c. ubi Abbas spoliatus possessione Ecclesie, agebat, non contra laicos,

ipsum per vim eiecerunt, sed contra Archidiaconum, qui postea illius Ecclesiæ possessionem acceperat, petens, se in possessionem, à qua post appellationem dejectus erat, restitui. *Abb. hic n. 16. Alex. n. 20.* Sed, etsi appellatio extrajudicialis facta sit specialiter contra certam personam, & tertius possessor ab appellato innocente habuerit causam, v. g. emerit, quamvis bonâ fide; agi tamen potest contra eum per viam attentati, ut Judicis Officio rescindatur, quod actum est. *l. Chirographis; § 7. §. Ab eo; & ibi Gl. V. Ablatus est; ff. de administr. tur. ex qua lege patet, quod alienata ab appellante, vel appellato, pendente appellatione, officio Judicis revocantur per Judicem appellationis à tertio possidente habente causam à parte, vel etiam ab ipso Judice. Abb. c. l. Alex. c. l. in 2. casu.* Imò potest etiam revocari attentatum, quamvis tertius possessor bonæ, aut malæ fidei succedens in re attentata non habuerit causam à Judice, vel à parte, sed ab alio quolibet; ut colligitur ex *c. Ex parte; 7. de testibus.* ubi Presbyter quidam, post interpositam appellationem, fuit privatus Ecclesiâ suâ, eaque ab eo, ad quem pertinebat collatio illius, alteri collata fuit: ea tamen vi appellationis revocata fuit ab illo tertio, cui collata fuerat, licet præsumeretur esse possessor bonæ fidei propter titulum. *Alex. c. l. n. 21. in 3. casu.* Verumtamen, si ille tertius non succedat in re attentata, sed principaliter attentet, seu innovet, hoc casu, non potest per viam attentati agi, seu revocari possessio ab ipso tertio, etiamsi attentaverit, post inhibitionem Judicis, de quo est sermo in *c. Romana; 3. §. In alium; h. t. in Sexto. Alex. c. l. in 4. casu.*

Notandum tertio. Sufficere videtur, etiam quoad revocationem attentatorum, in appellatione extrajudiciali, ut causa appellandi sit probabilis, talis scilicet, quæ, si probata esset, legitima foret, licet non sit vera; ut tradit *Gl. fm. hic. & Abb. n. 22.* quia Papa in hoc c. solum se fundat super causa probabili, & verisimili, non super vera, sive, quod probata sit esse vera. Contrarium tamen tenent alij, nempe, quod, licet ad justificandam ipsam appellationem satis sit probare, appellationem ex causa probabili, & verisimili fuisse interpositam: id tamen non sufficit ad effectum revocandi attentata, sed requiritur, ut etiam probata sit vera causa appellandi, & revocentur attentata, idque factum esse in *cit. c. Bonæ; h. t. Covarr. præf. qq. c. 24. num. 5. Barb. in cit. c. Bonæ. num. 3.*

Notandum quarto. Attentata, vel innovata, appellatione pendente, non solum revocanda sunt, quoad possessionem rei, sed etiam quoad fructus interim perceptos; ut patet ex hoc *c. in fine:* nam, quia Archidiaconus scienter accepit possessionem Ecclesiæ, quâ Monachi fuerunt spoliati, & ita successit in vitium, ideo tenebatur ad ipsam rem, seu Ecclesiam restituendam, unâ cum fructibus medio tempore perceptis, imò & ijs, qui percipi potuerunt. *Gl. in cit. c. Bonæ; V. In eum statum; h. t. & Alex. num. 11.*

CCLIV. Assertio 2. Remedium revocandi attentata, pendente appellatione, longè uberius, & pinguius est, quàm Interdictum *Unde vi*, seu recuperandæ possessionis, & plura privilegia habet. Nam primò, in Interdicto *Unde vi* debet probari possessio, & spoliatio: at, quando agitur per viam

attentati, non est opus probare spoliationem, sed sufficit, si appellans spoliatus, post interpositam appellationem, probet, quod tempore appellationis interpositæ fuerit in possessione, & quod adversarius nunc possideat: hoc enim ostenso, contra quemcunque, sive bonæ, sive malæ fidei possessorem, reducendus est in pristinum statum, revocatis omnibus attentatis post appellationem. *cit. c. Bonæ; h. t. & ibid. Abb. n. 19. & Alex. n. 24.* Secundò. Quando intentatur remedium revocandi attentata, non requiritur Ordo judicarius, neque libelli oblatio, neque litis contestatio, sed implorato Judicis Officio, summarè, & de plano proceditur; ita tamen, ut requiratur citatio partis. *Abb. c. l. num. 16. & 17. Alex. num. 22.* Tertio. Remedium per viam attentati competit etiam pro rebus mobilibus, cum interdictum *Unde vi* detur tantum pro immobilibus.

Quarto. Agenti, ut attentata revocentur, non potest opponi notorius defectus proprietatis, neque exceptio alterius spoliationis; quia revocatio fit ex mero Judicis officio: neque etiam exceptio excommunicationis, saltem in appellatione judiciali; quia hæc habet rationem potius defensionis, quàm actionis: fecus est in extrajudiciali, quæ cum sit provocatio ad causam, pro actione potius habetur, quàm defensione: ideo, sicut excommunicatus appellare non potest gravatus extra judicium; ita neque agere per viam attentati, post appellationem extrajudicialem. *Abb. c. l. num. 20. Alexand. num. 27. & 29.* Quintò. Per remedium attentati potest agi contra tertium succedentem in re attentata, licet bonâ fide, & cum titulo, & etiam si habuerit possessionem, & titulum ab alio, quàm à parte, vel Judice, ut supra dictum. *Alex. c. l. num. 23.* Sextò. In revocatione attentatorum non requiritur, ut possessor alleget, & probet titulum, saltem coloratum possessionis in causis beneficalibus: quæ omnia aliter se habent in Interdicto *Unde vi*, seu recuperandæ possessionis; ut patet ex *tit. 13. supr. de restit. spoliar.* Ratio differentia est; quia spoliator minus delinquit, quàm attentans in præjudicium litis, seu appellationis pendens; nam per appellationem læditur non tantum pars adversa, & iustitia; sed etiam ipse Judex; ut in simili dicitur in *c. 1. in fine, h. t. in Sexto. Abb. c. l. n. 21. & Alex. n. 27. & 28.*

§. VIII.

Quis Iudex cognoscere possit de revocatione attentatorum post appellationem?

CCLV. Ad hanc quæstionem responderetur; cognoscere, num attentata, seu invocata, post appellationem, revocanda sint, necne, pertinet ad Judicem appellationis; nam, qui de principali cognoscit, is etiam de accessoriis, seu connexis cognoscere debet: idem enim juris est in accessorio, quod in principali. *Arg. c. 42. de Reg. jur. in Sexto.* at causa revocandi attentata est accessoria causæ appellationis, quippe ex illa dependens; num legitima

gitima fuerit appellatio, an frivola: ergo ad eundem
 Iudicem pertinet cognoscere de justitia appellationis,
 & de revocatione attentatorum. Idque sumitur ex
 » c. *Sollicitudinem*; § 4. h. r. ubi habetur, quòd, cum
 » duo Diocessani coram Episcopo suo litigassent,
 » quem Episcopus censens, appellationem esse fri-
 » volam, tanquam contumacem excommunicavit.
 » Ille postea à Metropolitanò petijt justitiam sibi
 » administrari, eò quòd ab Episcopo post appella-
 » tionem fuit excommunicatus; atque in pristinum
 » statum se restitui, in quo erat tempore appellatio-
 » nis factæ, videlicet denunciari, se ab excommuni-
 » catione esse liberum: simul tamen protestatus fuit,
 » quòd per hoc appellationi suæ ad Papam inter-
 » positæ renunciare non intendat; sed eam prosequi
 » velit. Quæsitum ergo fuit Primò, utrùm Me-
 » tropolitanus de huiusmodi querela ad se delata co-
 » gnoscere valeat: deinde, an, si Episcopus in hoc
 » casu appellaverit, ne excommunicatus ab ipso ab-
 » solvatur, vel denunciatur non ligatus excommu-
 » nicatione, huic appellationi Episcopi Metropolita-
 » nus deferre debeat? Respondit Papa Innocen-
 » tius III. quòd Metropolitanus de excommunica-
 » tione lata post appellationem, validane sit, an ir-
 » rita, cognoscere haud possit; quia id pendet ex
 » causâ appellationis, eique connexum est, ita, ut
 » non possit de illa cognosci, nisi cognoscatur de ap-
 » pellatione. Quare, sicut Metropolitanus de ipsa
 » causâ appellationis ad Papam interpositâ se intro-
 » mittere non potest: ita nec de his, quæ post appel-
 » lationem sunt innovata, dummodo de illis cogno-
 » sci non possit, nisi de appellatione pariter cogno-
 » scatur, vel sint connexa causâ appellationis. Quòd
 » si hoc casu Metropolitanus cognoscere velit (sci-
 » licet de justitia excommunicationis ab Episcopo la-
 » tæ) hic ab ipso appellare potest (ne à se excommu-
 » nicatum absolvat, vel absolutum denunciari) quia
 » ad eiusdem Iudicis officium pertinet, contra ap-
 » pellationem attentata revocare, qui de causâ ap-
 » pellationis cognoscere debet. Verùm, si notorium
 » esset, quòd mandatum Episcopi fuerit indiscretum,
 » vel iniustum, cui proinde subditus obedire non
 » tenebatur: consequenter etiam liqueat, subditum
 » legitimè appellasse; tunc potest Archiepiscopus
 » auctoritate Metropolitanâ declarare, Episcopum
 » irrationabiliter eum excommunicasse. Si verò Dioc-
 » cesanus, qui ad Papam ab Episcopo eum excom-
 » municante appellavit, postea ad Metropolitanum
 » accedat, ut de causâ cognoscat, hoc casu potest
 » Metropolitanus de causâ cognoscere; quia appel-
 » lans prosecutioni appellationis suæ ad Papam ra-
 » citè renunciare videtur. Porro, si in hoc casu verbo,
 » vel factò protestetur, se nihilominus appellationem
 » ipsam ad Papam prosequi velle; tunc tanquam re-
 » pugnantia petens, & sibi ipsi contrarius, audiri non
 » debet.

CCLVI. Pro explicatione huius c. Notandum
 primò, Index à quo potest excommunicare subditum
 appellantem à se tanquam contumacem, si videatur
 esse appellatio illegitima, seu frivola, eò quòd Iu-
 dici citanti, aut præcipienti parere nolit; quia per ta-
 lem appellationem non defenditur appellans, quòd

minus Index contra illum possit procedere, & vici-
 tas excommunicationis pendet ex futuro even-
 tu; justificabitur appellatio, ac legitima pronuntiabitur
 à Iudice ad quem, necne. *Abb. hic num. 1. & Alex. de
 Nevo. num. 2.*

Notandum secundò. Si quis probabiliter est-
 timet, se esse iniuste excommunicatum, potest adire
 Iudicem, & petere, ut declaret, se esse immanem, &
 liberum à censura, vel non esse criminofum, quòd
 reputatur: sicut enim aliquis potest denunciari excom-
 municatus, ut evitetur, vel criminofus; ita & non ex-
 communicatus, vel non criminofus. *Abb. hic num.
 1. not. 2. & Alex. num. 4. & 5.* ubi ait, quòd in omni
 probabili dubio juris, vel facti potest peti sententia
 declaratoria Iudicis.

Notandum tertio. Index inferior, à quo ap-
 pellationem fuit, sicut non potest cognoscere de ap-
 pellatione; ita nec de attentatis post illam, si contingat
 articulum appellationis. *Abb. c. l. & Alex. num. 6.*
 neque tamen omnia attentata post appellationem inter-
 vocanda, sed illa tantum, quæ tendunt in præiudi-
 cium ipsius appellantis. *Abb. hic num. 2.*

Notandum quarto. Si Episcopus in factò no-
 toriè iniusto gravet subditum, tum Archiepiscopus
 potest de illo cognoscere, illudque revocare. *Abb. hic
 num. 3. Alex. num. 7.* ut in casu huius c. si notoria
 constet, excommunicationem ab Episcopo latam con-
 tra aliquem esse iniustam (quia lata est post legitimam
 appellationem ad Papam) potest Archiepiscopus
 seu Metropolitanus declarare, illum non esse op-
 tum excommunicationis vinculo; quia tunc non
 præiudicat appellationi, cum de justitia illius sub-
 stantialiter non cognoscat; quia facta notoria non
 digent judiciali causâ cognitione: sed extra iudicium
 denunciari, & declaret, subditum non esse excom-
 municatum: cum enim sit ordinarius Iudex Episcopi
 sui Suffraganei, potest illum coercere, ne iniuste pro-
 vet aliquem. *Alex. c. l. num. 13.*

Notandum quintò. Sicut is, qui appellat à
 sententia, appellationi renunciare censetur, si com-
 pareat coram Iudice à quo, & sequè jurisdictioni ipsius
 subijciat, quoad causam, super qua appellavit, &
Gratum; 20. de offic. iud. deleg. ita etiam, si appellans
 compareat coram Superiore Iudice, ad quem non
 est appellatum, sed talis Iudex sit inferior Iudice,
 ad quem appellavit, censetur priori appellationi re-
 nunciare. *Abb. hic num. 4. & Alex. num. 11.* ut
 in casu huius c. si is, qui appellaverat ab Episcopo
 ad Papam, postea adeat immediatam Superiorem
 Episcopi, videlicet Metropolitanum, ut eandem cau-
 sam, in qua appellatum fuit ad Papam, cognoscatur
 tunc is censetur priori appellationi ipso factò renun-
 ciare, eamque deserere; quia exercet actum con-
 trarium, seu incompatibilem priori appellationi ad
 Papam, cum qua non potest simul consistere, &
 Iudex inferior videlicet Metropolitanus causam
 appellationis jam prius ad Papam delatam cogno-
 scat.

Notandum sexto. Qui contraria propositione
 sive allegat, non debet audiri, ut in casu huius c.

si is, qui appellavit ab Episcopo ad Papam, postea accedat alium Judicem in eadem causa, sed protestetur, se nihilominus appellationem ad Papam interpositam prosequi velle; non est audiendus. *Gloss. in hie.* quia talis ipso facto renunciat appellationi, & recedit à Judice, ad quem appellavit; verbo autem protestatur, se nolle ei renunciare, neque ab eo recedere, quæ sunt contraria; ideoque simul consistere nequeunt. *Vivian. in Ration. Jur. Pont. hic.*

SECTIO IX.

DE CESSATIONE, AUT REVOCATIONE, RENUNCIATIONE, & DESERTIONE appellationis.

S. I.

An, & quomodo per revocationem Judicis, & per renunciationem cesset, & tollatur appellatio?

CCLVII. Assertio I. Si Judex ordinarius, vel delegatus, comminando, vel interloquendo, partem litigantem gravavit; ideoque ea appellavit; sed Judex, à quo appellatum, saniore usus consilio, ab huiusmodi gravamine desistat, illudque revocet: tum potest in causa cognitione liberè procedere, perinde, ac si à tali comminatione, vel interloquutione, seu gravamine non fuisset appellatum; quia cessante causa, cessat effectus: dummodo Judex non ex alia causa legitima sit suspectus, ne processus negotii frivolus occasionibus retardetur; prout statuit Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 48. quod refertur in cap. *Cum cessante*; 60. h. t. Ratio decisionis est expressa in textu; quia cessante causa, cessat effectus: sed gravamen est causa immediata appellationis. cap. *Ut debitus*; 59. h. t. Ergo cessante gravamine per revocationem Judicis, cessare etiam debet ipsius effectus, scilicet appellatio. *Abb. hic n. 2.*

CCLVIII. Pro explicatione huius cap. Notandum primò. Non solum Judex ordinarius, sed etiam delegatus potest revocare sententiam suam interlocutoriam, ante sententiam definitivam, etiamsi ab ea fuerit appellatum. l. *Quod iussit*; 14. ff. de re judic. ubi id statuitur de Judice ordinario, sed hic extenditur etiam ad delegatum. *Abb. hic num. 3. & Alexand. de Nevo num. 6.* Potest autem revocare interlocutoriam, usque ad sententiam definitivam; quia tanto tempore durat eius officium, & iurisdictio in causa principali: postquam autem interlocutoria est executioni mandata, Judex illam revocare non potest, nisi causâ cognita, vel de consensu partium; ut docet *Barr. in cit. l. Quod iussit*; num. 11. At verò sententiam definitivam Judex ordinariè revocare non potest; tum quia, sive bene, sive malè iudicavit, functus est officio suo. l. *Judex*; 55. ff. Eod. *Barr. cit. loc. n. 7.* tum quia definitiva fertur cum maiore maturitate,

Tomus II.

quam interlocutoria; ideo difficiliùs revocatur. *Alexand. hic n. 10.* Sed neque sententia interlocutoria, ad petitionem partis adversæ, revocari potest, nisi intra decendium: nam postea quoad ipsam partem transit in rem iudicatam; non autem quoad Judicem, qui ex officio nihilominus illam revocare potest, etiam post interpositam appellationem, eaque pendente. *Barr. cit. loc. num. 11. & 12. Abbas hic num. 4. & 17.* Alias plures limitationes, quibus Judex non potest revocare interlocutoriam suam, recenset *Abb. hic num. 11. & aliquot seqq. Alexand. ibidem num. 26. & multis seqq.* sicut vice versâ. Plures etiam sunt casus, in quibus Judex potest revocare etiam definitivam sententiam, quam tulit; qui videri possunt apud *Alexand. hic num. 23. & aliquot seqq.*

Notandum secundò. Non solum appellari potest in Judicio à gravamine actu illato, sed etiam à comminatione iniuste per Judicem factâ, quamvis de presenti, & in effectu gravamen non intulerit, modò timeatur inferendum; ut colligitur ex hoc cap. ibi: *Aliquid comminando*; *Abb. hic num. 5.* ex quo infert, quòd à gravamine verbali de presenti, sed à reali de futuro, potest appellari in Judicio; non autem à gravamine merè futuro, quamvis possit etiam à tali appellari extra Judicium. *Alexand. hic num. 7.*

Notandum tertio. Quando Judex revocat sententiam suam interlocutoriam, à qua est appellatum, non exigitur consensus partium; quia ipsis etiam invitis, illam revocare potest, & corrigere errorem suum; ut colligitur ex hoc cap. ibi: *Liberè in cause cognitione procedat.* Nam adverbium *Liberè* suapte naturâ denotat aliquid fieri independentè à consensu alterius. *Abb. hic num. 5. & Alexand. n. 9. & 10.*

Notandum quarto. Judex potest, etiam ob eam causam, revocare suam interlocutoriam sententiam, seu gravamen, à quo est appellatum, ne processus frivolus occasionibus retardetur; ut habetur in fine huius cap. nam ad Judicis officium pertinet superfluas exceptiones, & dilationes rescicere, finem litibus citò imponere, & cavere, ne partes laboribus, & sumptibus litis nimis graventur; ideoque proprium errorem corrigere potest, & revocare. *Hostiens. hic in fine.*

CCLIX. Ceterum regula illa: Cessante causa, cessat effectus, posita in cit. cap. 60. intelligi debet de causa finali, ac principali; quòd, quàm diu illa durat, durat etiam, quòd ex illa causa statutum est, vel factum; non autem de causa impulsiva, & secundaria, secundum doctrinam *Glossæ* communiter receptam in cap. *Post translationem*; 11. V. *Cessante*; de renunciat. Item procedit dicta regula, si causa finalis, propter quam fit actus, vel alius effectus sequitur, sit unica, seu adæquata. Sin autem duæ sint causæ finales alicuius actus, vel effectus, & unâ cessante, altera non cesset, tum vel quælibet per se sola, & seorsum sufficit ad actum illum ponendum, vel effectum producendum, aut sustinendum, seu conservandum: & hoc casu, licet una causa cesset, non tamen ideo cessat actus, seu effectus, sed subsistit. §. *Affirmatis*; *Instrum. de nuptis*, ubi rubrica ait: *Si duæ sint rationes eiusdem*

Nnnn

dema

dem dispositionis, & una cesset, altera remanente, non ideo cessat dispositio, sed consistit. Vel quolibet causa per se, seu seorsum sine altera non sufficit ad illum effectum producendum, aut sustinendum: & tunc cessante una causa, etiam si altera remaneat, cessat nihilominus, & corrumpit actus, seu effectus; quia neutra per se sola, sine altera, est causa totalis, & adæquata, sed partialis solum, & inadæquata; adeoque amba simul requiruntur ad producendum, aut sustinendum effectum. *Abb. hic n. 2. Alexand. num. 3. V. g. si in dispensatione super voto, vel matrimonii impedimento, unica tantum causa afferatur, eaque deficiat, seu falsa sit, corrumpit dispensatio: si autem duæ causæ dispensandi expressæ sint in litteris dispensationis, quarum utraque per se sola, ac seorsum, sufficiens esse possit ad dispensandum, ut, si voto castitatis obstrictus petat dispensationem, tum allegato periculo incontinentiæ, tum quod ex aliqua inconsideratione voverit, & una causa deficiat, seu falsa sit, altera verò maneat, seu vera sit; dispensatio adhuc subsistit, nisi aliud de mente dispensantis ex verbis Rescripti, vel circumstantiis colligi possit; quia utraque censetur causa principalis, & adæquata. Secus est, si utraque causa, quæ allegatur, per se sola insufficientis sit ad dispensandum; tunc enim unâ deficientem, seu falsâ, etiam si altera maneat, seu vera sit, dispensatio corrumpit. *Laym. lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 22. num. 23.**

CCLX. Assertio secunda. Appellationi interpositæ potest quis renunciare dupliciter, expressè, vel tacitè. Expressè desistendo ab appellatione, quod potest, si adversarii non interfit, & res adhuc sit integra. *cap. Ei, qui; 41. §. Si verò is, qui appellavit; & §. Siquis libellos; causi. 2. q. 6. & ibi: Glos. V. Penitentia ductus; & V. Commutandi. cap. Ut super; 4. ibi: Nisi appellationi renunciatum fuerit hoc tit. in Sexto. & ibi Glos. V. Renunciatum. debet tamen renuncians appellationi adversario sumptus, si quos fecit, restituere. *cap. Interposita; 70. §. Ille denique; hoc tit. Tacitè verò potest quis renunciare, si actum appellationi contrarium exercent; ut, si inducias petat ad respondendum obiectis, vel ad producendos testes, vel testium publicationem fieri. *cap. Gratum; 20. & ibi Glos. V. Reversum; de offic. judic. deleg. Item, si appellans Apostolos intra triginta dies petere prætermittat, censetur appellationi suæ renunciare. *cap. Ab eo; 6. h. t. in Sexto. Clement. 2. Eodem. Si Judicem, ad quem appellavit, intra præfixum tempus non audierit; si appellationem intra annum, vel biennium, vel aliud tempus à Judicibus definitum, prout causarum qualitas postulat, non fuerit prosecutus. *cap. Cum sit; 5. cap. Diverbia; 39. hoc tit. Porro, quamvis appellans, si postea coram Judice à quo litiget, renunciare appellationi jam interpositæ videatur: si tamen post gravamen illatum non appellet, sed coram Judice litigare pergat, non censetur renunciare appellationi interponendæ; quia fieri potest, ut interim de ea deliberet. *Abb. in cit. cap. Gratum; n. 6. de offic. deleg. Decius ibid. num. 4.******

Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? Et an prosecutio appellationis deserta impediat, ne sententia transeat in remissam?

CCLXI. Ad priorem questionem respondetur: In causis electionum, aliisque Beneficialium, in quibus Superior, sive Judex ex officio procedere potest, & non tantum ad instantiam, seu petitionem partis: etsi appellatio sit deserta; quia v. g. si, qui appellavit, ex negligentia non prosequitur appellationem, intra terminum præfixum: tamen Juxta appellationis nihilominus procedere potest, proprio motu, & ex officio suo, ob bonum publicum, & meritis causæ cognoscere, v. g. de impedimento doli, propter quæ appellatio est; quia negligentia partis, & desertio appellationis non præjudicat officio Judicis: cum enim sunt duo modi procedendi, per viam actionis in Judicio, vel ex officio Judicis uno sublato, manet alter; prout sumitur ex *Consuetudine; 45. h. t. & tradit Abb. ibid. num. 1. & Alexand. de Nevo num. 1. & 12. ubi talis casus proponitur: Vacante Decanatu Ecclesiæ Clarenensis, Canonici potestatem eligendi per commissum in Episcopum contulerunt, qui Archidiaconum eiusdem Ecclesiæ, consentientibus sibi partibus Canonice, constituit, ac nominavit. Sed archidiaconi Canonici contradixerunt, appellantes ad Papam, ne quicquam eligeretur, nisi omnes consentirent. Verum, cum illac transiret Sedis Apostolicæ Legatus Cardinalis, seu de latere, causam hanc quibusdam delegavit, non ut appellationi interpositæ derogaret (quia hoc, etsi vellet, non posset, ex quo appellatum fuit ad Papam. *Glos. hic, derogaret*) sed ut causam instructam mitteret ad Pontificem: & mandavit delegatis, ut pariter illorum Canonice, qui electioni Decani contradixerunt, ad ipsum Legatum mitterent, eorum ipso contradictionis, & appellationis sine causam exposituros. Examinatâ coram Cardinale Legato causâ, is eam ad Innocentium III. transmittit, qui respondit, se ex relatis intellexisse, quod sub ea forma fuerit appellatum, ne sine omnium consensu Decanus eligeretur, & quod appellantes intra annum appellationem non fuerint prosecuti: neque causa extitit, ob quam biennium ipsis concedendum fuerit (quod concedi non debet, nisi ex iusta causa. *cap. Cum sit; 5. h. t. de V. Indulgendum*) nam cum bis, intra legitimum tempus, nunciium Romam destinaverint, possent vel semel idoneum procuratorem eò mittere. Verum, ne peremptorias appellantium exceptiones rejicere videatur, mandat Papa Judicibus à se delegatis, ut, si ipsi constiterit, Archidiaconum, facti Episcopi, quo nititur eius intentio (id est, juri suo quæsito per collationem Episcopi. *Hosien. hic, 2. q. 2. od.*) sponte renunciâsse: vel Episcopum ad electionem*

» nem ipsius processisse, ommissis ijs, sine quibus (sci-
» licet alijs x. i. Canonicis) ne procederet in com-
» promisso expressum fuit, dicto Archidiacono si-
» lentium imponant: alioquin verò electionem al-
» terius (ab alijs x. i. Canonicis, pendente electio-
» ne Decani. *Gl. fin. hic*) factam, & quidquid ex ea-
» dem subsecutum fuit, irritum declarent.

CCLXII. Notandum primò. Capitulares, communi consensu, compromittere possunt, sive Jus eligendi transferre in personam externam, quæ non est ex Corpore Capituli, ut in casu huius cap. in Episcopum. Item potest compromitti, eâ formâ, ac modo, ut à compromissariis eligatur is, in quem omnes Capitulares consenserint, & vota sua dederint: alioquin non valeat electio, sicut in casu huius cap. ut Episcopus eligat Decanum in eum, in quem omnes consenserint: quamvis hoc non procedat in electione facta per scrutinium, ut ea non valeat, nisi omnes Capitulares consensuerint; quia in illa est præscripta certa forma, ut eligatur, in quem maior pars Capitularium consenserit, juxta *cap. Quia propter; 24. de elect.* quæ ad substantiam talis electionis pertinet. *Abb. hic n. 8. Alexand. n. 14.*

Notandum secundo. Etiam post desertam appellationem, potest Judex ex officio procedere, & inquirere de exceptionibus propositis, & meritis causæ, in qua fuit appellatum, ut in casu huius cap. ne electus per subreptionem promoveatur ad Decanatum: ideòque mandat Papa de ijs inquiri. *Glos. hic V. Exceptiones.* Aliud verò dicendum est, si causa, seclusa appellatione, non pertineat ad officium Judicis, ut, si concernat tantum privatum commodum; tunc enim Judex non debet se immiscere, si appellator appellationem deserat, sive prosequi cesset. *Abb. hic n. 3.*

Notandum tertio. Id speciale est in Legato de latere, qui personam S. Pontificis specialiter repræsentat, & est de Collegio Cardinalium, quod possit causæ, in qua ad Papam est appellatum, se immiscere, eamque examinare; non ut appellationis cursum impediat, sed ut causam instructam ad Papam transmittat; prout factum est in casu huius cap. & notat *hic Abb. n. 10. Alexand. n. 4.*

CCLXIII. Ad alteram quæstionem respondeatur, si appellans appellationem à se desertam postea prosequatur, sententia tamen, à qua fuit appellatum, transit in rem iudicatam, perinde ac si ab ea appellatum non fuisset; prout statuitur in *Clement. Si appellationem; 6. h. r.* ubi dicitur: Si appellatio per negligentiam appellantis deserta fuerit (quia appellans non petijt Apostolos intra xxx. dies, vel si petijt, non comparuit in termino assignato ipsi per Judicem, à quo, ad dandum ei Apostolos: vel si comparuit, non introduxit appellationem suam intra terminum ei assignatum. *Gl. magna hic*) tum, etiamsi postea appellans cum appellato, vel etiam appellatus per se, ac principaliter appellationem sic desertam prosequatur, nihilominus tamen sententia priùs lata, à qua appellatum fuerat, censetur transiisse in rem iudicatam. Ratio est; quia per lapsum temporis constituti ad prosecutionem appellationis ratificatur prior sententia lata, perinde ac si non fuisset appellatum: adeòque transit in rem iudicatam, sicut transivisset, si intra x. dies non fuisset ab ea ap-
TOMUS II.

pellatum. Vnde, licet post desertam appellationem, Judex ad quem infirmiter sententiam, à qua fuit appellatum, tamen hæc secunda sententia in causa appellationis contra priorem lata non tenet: sicut non valeret, si à priore sententia appellatum non fuisset; quia post desertam appellationem Judex ad quem definit esse Judex in illa causa, sententia autem à non suo Judice lata non valet: & cum sententia prima, à qua fuit appellatum, transierit in rem iudicatam; quia non censetur ab ea appellatum, & appellans cadit causâ, post desertam appellationem; ideo etiam secunda sententia, quippe contra rem iudicatam lata, non valet. *cap. Inter; 20. de sentent. & re jud. Gl. hic V. Appellatus. & Abb. n. 2.*

CCLXIV. Ubi præterea Notandum primò. Solus etiam appellatus potest, post desertionem appellationis per negligentiam appellantis, prosequi appellationem, petendo, malè iudicatum esse, & sententiam transivisse in rem iudicatam. *Abb. hic n. 3.* quia appellatus potest prosequi causam appellationis, etiam appellante non prosequente: nam appellans potest illi renunciare, quoad effectum, ita, ut appellatio deserta non revalidetur ex prosecutione. *Gl. magna hic in notatis.*

Notandum secundo. Constitutio huius Clementinæ, quod prosecutio appellationis deserta non impediat, quin sententia transeat in rem iudicatam, locum habet etiam quoad executionem sententiæ, ita, ut, postquam transiit in rem iudicatam, possit executioni mandari, ac si non esset appellatum, intra tempus legitimum, quod datur ad solvendum iudicatum. *Glos. magna hic in fine.* Item, si hæc Constitutio procedit in appellatione tacite deserta, per negligentiam appellantis, multò magis procedit, si appellatio expressè sit deserta per renunciationem. *Gl. hic V. Desertam.*

Notandum tertio. Tum demum prosecutio deserta appellationis non impedit, quò minus sententia, à qua fuit appellatum, transeat in rem iudicatam, si sententia per se, sine appellatione, fuit aliqua, seu non invalida, ut, quia contra jus litigatoris lata: sin autem ab initio fuit nulla, tum, sicut non potest transire in rem iudicatam, etiamsi ab ea appellatum non fuerit; ita neque transiit in rem iudicatam, si interposita quidem fuerit appellatio, sed postea deserta: perinde enim censetur, ac si non fuisset appellatum. *Gl. fin. hic. & Abb. in fine.*

Porro, quando, & ex quibus causis, sive casibus in specie appellatio dicatur deserta, refert *Marrant. p. 6. de ord. judic. in actu 2. de appellat. n. 307. & seqq. usque ad finem.* qui colligi possunt ex supra dictis.

SECTIO X.

DE RECUSATIONIBUS,
& Relationibus.

Secunda pars Rubricæ huius Tituli in antiquis Decretalibus Gregorij IX. est de Recusationibus, quæ in nonnullis conveniunt cum appellationibus, & pari ferè passu procedunt: tertia verò pars est de relationibus, quæ etiam affinitatem habent cum appella-

pellationibus, & in effectu conveniunt; ideoque in eodem Titulo de utrisque agitur.

S. I.

Quid sit recusatio, & quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?

CCLXV. Assertio 1. Recusatio est Judicis, & Jurisdictionis ipsius, proposita causa suspicionis, declinatio, eò quòd Judex ex causa verisimili suspectus sit. l. *Apertissimi*; 16. C. de judic. cap. *Quòd suspecti*; 15. *caus.* 3. q. 5. cap. *Causam*; 17. cap. *Suspicionis*; 39. de offic. deleg. Durand. in specul. lib. 1. part. 1. tit. de recusat. in princ. Finis autem recusationis est, ut lites maiore sinceritate procedant: etsi enim fides Judicis publicè auctoritate sit approbata, æquum tamen non est, ut quis eius Judicio, qui ex privatis causis redditus est suspectus, stare cogatur: nam quodammodo naturale est, suspectorum Judicum infidias declinare, & inimicorum Judicium semper velle refugere; prout dicitur in *cit. cap. Quòd suspecti*; propè finem. ead. *caus.* 3. q. 5. cap. 41. §. *Tertiò*; in fine; hoc tit.

CCLXVI. Assertio 2. Appellatio, & recusatio etsi in quibusdam æquiparantur, in pluribus tamen differunt. Conveniunt, tum quia sicut per appellationem receditur ab audientia Judicis, eiusque Jurisdictione suspenditur, ita & per recusationem; quia Judex recusatus non potest, recusatione pendente, ad aliquem actum procedere; sed processus est nullus. Marant. p. 6. de ord. judic. de appell. n. 24. Tum » quia in causis quoque Ecclesiasticis, quando appellationis remedium tollitur, seu non conceditur, sicut appellationi, ita & recusationi non est » deferendum; prout dicitur in *cap. Super eo*; 12. §. *In causis h. t.* Verùm sensus hic, sive expositio huius cap. quòd, remota, seu sublatà appellatione, etiam sublata sit recusatio Judicis, non est vera: nam Judex delegatus, cui commissa est causa, appellatione remota, si ex iusta causa suspectus sit, ut quia consanguineus est impetrantis litteras delegationis, vel Advocatus in eadem causa fuit, potest recusari, tamen non possit ab eo appellari; prout deciditur in *cap. Postremo*; 36. h. t. Quare, ut jura juribus concordentur, dicendum est, in *cit. §. In causis.* appellationem, & recusationem æquiparari, quoad modum proponendi, ut, sicut sine iusta, & probabili causa expressa, non admittitur appellatio ab interlocutoria, cap. *Ut debitus*; 59. h. t. ita nec recusatio Judicis. *Glos. in cit. §. In causis. V. Sicut appellationi.* Abb. *ibid. n. 10.* & *Alexand. n. 13.* & 19. Ex quo sequitur, quòd recusatio similior sit appellationi ab interlocutoria sententia, quàm à definitiva; quia in hac non requiritur expressio causæ, sicut in illa. *Alexand. c. l. n. 20.* & patet ex supra dictis.

Præterea convenit etiam appellatio cum recusatione Judicis, seu Superioris in eo, quòd, sicut Regulares possunt appellare à correctione Superioris, si modus in ea excedatur, cap. *Ad nostram*; 3. hoc tit. ita etiam, si Superior valde suspectus esset, & ob pas-

sionem excessurus putaretur in corrigendo, pelleretur; ut post Abb. & Alexand. docet *Sanch. 6. moral. cap. 8. n. ult.* ubi tamen id limitat, ut modo manifesta sit causa suspicionis Prælati, ut quam recusari possit; sicut etiam manifestus debet esse excessus Prælati in corrigendo, ut postea ab eo appellari. Non obstat, quòd in *cap. Speciali*; 64. Porro in fine h. t. dicitur, Constitutionem illam de recusatione, & appellatione non extendi ad Regulares; quia non extenditur ad illos, ita, ut impediatur correctio eorum, secundum regulam in litterata: alioquin verò, sive procedatur iudicialiter, sive extra Judicium, etiam in Regularibus locum habet recusatio, sicut & appellatio, quæ quoad hoc æquiparantur. *Sanch. cit. loc.*

CCLXVII. Porro, appellatio in pluribus etiam differt à recusatione; ut tradit *Glos. in c. Si contra*; 4. de offic. deleg. in Sexto. Abb. in *ca. cap. per*; num. 9. *Alexand. ibid. num. 20.* & seqq. Non primò non appellatur à Judice, nisi gravet, & tamen recusari potest, etiam si non gravet. Secundo, teste quis appellare à Judice, in quem contentus, tamen non potest eum recusare. cap. *Insuper*; 14. de offic. delegat. juncto cap. *Cum causam*; 14. de sen. & judic. Tertiò. Ab Officiali, seu Vicario non potest appellari ad ipsum Episcopum; potest tamen contra eodem recusari. *cit. cap. Si contra.* §. *fin. post.* C. ubi rationem diversitatis dat, quia appellatio recusatio fit ad alium, eumque maiorem, non tamen recusatio. Quartò. In eadem causa non licet tunc appellare, & tamen post secundam appellationem citum est, Judicem recusare. l. *unic. C. De littera una, eademque causa* & c. *Alexand. cit. loc. num. 25.*

Addunt nonnulli, quòd notoriè delinens non possit appellare, possit tamen recusare Judicem suspectum. Sed oppositum verius est, nempe, quòd in notoriis, sicut non admittitur appellatio, ita & recusatio Judicis: quamvis admittatur exceptio incompetentiæ Judicis; quia Judex incompetentis semper censetur gravare, licet factum sit notorium. *Alexand. in cap. Proposuit*; 24. n. 4. & *duobus seqq.*

S. II.

Quando, & quomodo fieri possit, ut debeat recusatio Judicis, & quomodo sit illius effectus?

CCLXVIII. Assertio 1. Recusatio Judicis proponi debet intra viginti dies, post libellum oblatum, ante lites contestationem. *Auth. Offertur*; ibi: *Vel recuset eum. C. de lit. consens.* & c. est; quia exceptio recusatoria Judicis tanquam suspecti pertinet ad dilatorias exceptiones, quæ ante lites contestationem proponende sunt, cap. *ter*; 22. de sentent. & re judic. Imò hæc exceptio ante alias dilatorias proponi debet; ut tradit *Glos. ibidem. V. Subeundo*, ubi etiam ratio additur; quia super aliis dilatoriis, subeundo Judicium, & processum, exceptioni recusationis Judicis propter suspicionem pars renunciare videtur.

Arg. c. Insinuante; 25. de offic. deleg. adeoque in Judicem consentire, eiusque personam approbare censetur, unde ipsum postea reprobare non potest. *Gl. cit.* Porro quoad tempus 20. dierum, intra quod recusari debet Judex suspectus, non videtur faciendum esse differentia inter Jus Civile, & Canonicum: nam in *cit. Auth.* fit mentio de XX. diebus; quia isti dantur ad deliberandum, & respondendum libello: unde post illos non licet reculare Judicem, cum per responsum ad libellum facta sit litis contestatio: recusatio autem Judicis ante illam proponi debet. *Abb. in c. Secundo requiris*; 41. n. 11. in *Gl. h. t.*

CCL XIX. Limitatur autem primò. Quòd recusatio Judicis, per quam jurisdictio illi denegatur, naturaliter præcedat exceptionem suspicionis, quia frustra objicitur, suspectum esse, si jurisdictione careat; ut notat *Andr. in cit. c. Inter*; n. 12. Secundò, nisi quis super aliâ dilatoriâ, v. g. Actorem esse excommunicatum, Judicis cognitionem, seu Judicium subeat, cum protestatione; ut salva maneat exceptio recusationis propter suspicionem, juxta *c. Pastoralis*; 4. de except. & ibi *Gl. V. Protestata*. Tertio nisi causa suspicionis postea, id est, post aliam exceptionem dilatoriâ, vel post litis contestationem de novo superveniat; quia, quæ de novo emergunt, novo auxilio indigent. *l. De etate*; 11. §. *Ex causa*; ff. *De interrog. in jure facien.* vel, si antè quidem extiterit, sed de novo postea cognoscatur, sive post litis contestationem in notitiam rei primùm venerit; quia justa ignorantia excusat: his enim casibus, recusationi locus est, eaque objici potest etiam post litem contestatam in quacunque parte Judicii; prout sumitur ex *cit. c. Insinuante*; de offic. deleg. His adde, quòd recusatio Judicis aliquando etiam ante litis contestationem proponi potest, si nimirum à Judice certus terminus assignatus sit, intra quem opponi debeat: tunc enim post illum elapsum amplius opponi non potest, etiam si lis nondum sit contestata *Arg. cit. c. Pastoralis. Durand. cit. tit. de recusat. §. 3. num. 2.* sed de hoc etiam aliquid dictum est supra *tit. 2. num. 204.*

CCL XX. Assertio secunda. Si quis contra Judicem delegatum opponat, quòd eum suspectum habeat, causam suspicionis coram eodem allegare debet: & tunc (nisi causa recusationis manifestè frivola sit) idem Judex delegatus cogere potest partes; ut in aliquos, qui non valde remoti sint, tanquam in Arbitros compromittant (vel saltem in unum Arbitrum. *Gl. hic V. In aliquos*; modò ambæ partes consentiant in unum. *Alex. hic num. 22.*) coram quibus, si causa suspicionis, intra terminum competentem ab ipsis præfixum, probata non fuerit; tunc demum idem Judex procedere potest: sin autem causa suspicionis coram ipsis probata fuerit, Judex recusatus causæ cognitione superfedere debet: cum ipsa ratio dicat, quòd suspecti, & inimici Judices esse non possint; prout statuitur in *c. Secundo requiris*; 41. §. *Tertio postulas*; *h. t.* ubi *Gl. V. Allegare*; ait, quòd hæc Decretalis loquitur de Judice delegato.

CCL XXI. Ubi notandum primò. Discrimen, quoad modum procedendi, cum recusatur Judex delegatus, est inter Jus Civile, & Canonicum: nam de Jure Civili non eliguntur Arbitri, qui de cau-

sa suspicionis cognoscant, nec est necessarium probare causam suspicionis; sed sufficit, si allegetur, juxta *l. Apertissimi*; 16. §. *l. fin. C. De judiciis*; secus est de Jure Canonico; ut patet ex hoc textu. *Abb. hic n. 5. Alex. n. 25.*

Notandum secundo. Qui recusat Judicem, ut suspectum, non debet eligere Arbitros ex eodem loco, vel Diœcesi; quia fortè ob potentiam Judicis delegati, non posset ibi reperire idoneos Arbitros, quibus possit confidere: modò tamen non eligantur Arbitri ex loco longè remoto, qui distant ultra duas dietas, vel hodie ultra unam. *Arg. c. Nonnulli*; 28. de rescript. & *c. Statutum*; 11. eod. in *Sexto. Abb. hic n. 7. & 8. Alex. ibid. n. 6. qui tamen n. 7.* addit, id procedere in Arbitris, qui secundùm formam juris debent de causa suspicionis cognoscere; quia sunt ad instar delegatorum Papæ, juxta *c. Ab Arbitris*; 11. de offic. de leg. aliàs verò arbitrio prudentis relinquitur, quando dicantur Arbitri longè remoti.

Notandum tertio. Si Arbitri, non expediant causam suspicionis, intra terminum ipsis præfixum; tum potest Judex recusatus procedere ad cognoscendam causam principalem, quem terminum ipse potest iis assignare, si sint concordēs. *Alex. hic n. 10.* Arbitri verò electi, ut cognoscant de causa suspicionis, non possunt postea de causa principali cognoscere; quia pronunciando super causâ suspicionis, functi sunt suo officio; ideòque cessat eorum potestas. *Abb. hic n. 14.* Idque procedit de Jure Canonico; ut colligitur ex *cit. §. tertio*. ubi dicitur, quòd probatâ suspicionem, Judex recusatus debeat superfedere in causa: non autem additur, quòd Arbitri debeant cognoscere de causa principali; aliud est de Jure Civili, secundùm quod Arbitri cognoscunt de causa principali, juxta *cit. l. Apertissimi*; *C. de judic. Alex. c. l. n. 27. & 28.*

Notandum quartò. Recusatio Judicis proponi debet in scriptis. *c. Quoniam*; 11. *junct. Gl. V. Recusationes*; de probat. & *cit. l. Apertissimi*; ibi: *Libello recusationis ei porrecto. Gl. in cit. §. tertio. V. Coram allegare*; *h. t. & Alex. ibid. n. 18. & 19.* ubi tamen ait, in *cit. c. Quoniam*; non dici, quòd recusatio debeat porrigi in scriptis, sed quòd postea per Notarium redigenda sit in scriptum, quamvis absolute verum sit, quòd *Gl. cit.* dicit, juxta *cit. l. Apertissimi*.

CCL XXII. Assertio tertia. Similiter, si quis velit Judicem ordinarium; ut suspectum recusare, debet causam probabilem suspicionis coram eodem proponere, & eam, coram Arbitris communi consensu eligendis probare: quæ si non probetur, Judex recusatus in causa principali procedat; eâ verò probatâ, causam, cum recusatoris consensu, alteri committat, vel ad Superiorem mittat; prout statutum habetur in Concilio Lateranensi c. 48. sub Innocentio III. quod refertur in *c. Cum speciali*; 61. in *princ. h. t.* ubi Papa ait: quòd jam antè specialiter constitutum fuerit. (in *c. Sacro*; 48. de sent. excommunicat. quod est desumptum ex eodem Concilio generali) ne quis in aliquem sententiam excommunicationis promulget, nisi competente monitione præmissâ: Verùm, ne subditus per frustratoriam recusationem, vel appellationem declinare possit Prælati admonitionem; ideo statuit idem Papa, ut, si quis allegaverit, se Judicem habere suspectum, coram

coram eodem iustam suspensionis causam alleget: postea verò ipse recusans, cum adversario, vel, si adversarium non habeat, cum iudicis (quia iudex ordinarius ex officio suo contra eum procedit. *Gl. hic V. Cum iudice*) arbitros communi consensu eligant. Si verò consentire non possint; tunc una pars unum, altera alium eligat, qui de causa suspensionis cognoscant. Et, si etiam hi arbitri in unam sententiam concordare nequeant, eligant tertium; ut, quod duo ex his tribus decreverint, illud firmitatem obtineat, sciantque, se ad hæc fideiter exequenda sub gravi præcepto obligatos esse. Quòd si causa suspensionis, & recusationis coram Arbitris legitime probata non sit, intra competentem terminum, ipse iudex recusatus procedat, & jurisdictione sua utatur. Sin autem ea legitime probata sit; tunc iudex ordinarius recusatus causam principalem personæ idoneæ, cum consensu recusatoris, committat, vel eam ad Superiorem transmittat; ut ipse secundum iura procedat, ac definiat.

CCLXXIII. Pro explicatione Notandum primò. Si iudex, ut suspectus recusetur, allatâ causâ probabilis recusationis, de qua tamen dubitatur, an iusta sit (quia fortè in iure non est expressa) necne; tum non ipsemet iudex recusatus de iustitia causæ cognoscere potest: esset enim iudex in propria causa, sed ad hoc cognoscendum Arbitri eligendi sunt; ut patet ex hoc c. Sin autem causa reculandi manifestè, seu indubitè sit frivola, & iniusta, tum iudex recusatus eam rejicere, & in causâ principali procedere potest, neque tunc Arbitri sunt eligendi. *Gl. hic V. Iusta suspitionis. Abb. n. 12. Barb. in Collect. ibid. n. 11.*

Notandum secundò. à iudice suspecto ordinario, vel delegato regulariter appellari non potest: tum quia iure communi proprium remedium est concessum, recusationis scilicet, si iudex sit suspectus; tum quia ex eo præcisè, quòd sit suspectus, non gravat: ergo appellationi non est locus, cum gravamen sit immediata causa appellationis. *c. Ut debitus; 59. h. t. non obstat, quòd in cit. c. Cum speciali; in princ. significatur, posse à iudice suspecto recedi, vel per recusationem, vel per appellationem; ut innuitur in illis verbis: Ne commonitus frustratoria recusationis, vel appellationis obrextu &c. & docet *Gl. in c. Quoties; 16. V. Appellent. junct. Gl. margin. lit. b. caus. 2. q. 6.* quia hoc intelligendum est, quòd utrumque remedium competat, non ex eadem, sed ex diversa causa; recusationis scilicet, propter suspensionem; appellationis propter gravamen: quo modo etiam intelligi debet *text. in cit. c. Quoties; n. 6. Abb. hic n. 6.* Veruntamen, si iudex suspectus malè declarare videatur, recusationem esse frivolan; vel iustam recusationis causam admittere nolit, ab eo appellari potest; quia tunc gravat. *c. Super questionum; 27. in fine de offic. deleg. ubi id dicitur de iudice delegato. Abb. c. l.**

Notandum tertio. Iudex suspectus recusari potest, non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, & sive procedatur iudicio ordinario per accusationem, sive extraordinario per inquisitionem ex officio iudicis. *Gl. hic V. Cum iudice. Alex. ibid. num. 29.*

CCLXXIV. Notandum quartò. Si duo Arbitri electi, ut de causa suspensionis cognoscant, inter se concordare nequeunt, debent eligere tertium,

cuius solius sententiâ non statuitur, sed is debet prioribus duobus, vel saltem cum uno eorum sentire; ut patet ex *textu. Alex. hic n. 8.*

Notandum quinto. Si Arbitri iudicem recusationis esse iustam, tunc ipsi non possunt cognoscere de causâ principali, sed iudex ordinarius alteri idoneo, cum consensu recusatoris, committitur; quia ipse habet potestatem delegandi, & delegatum cogere potest; ut in Arbitros conferat. *Gl. in c. Si quis contra; 4. de foro compet. Alind in iudice delegato; quia hic, postquam pronuntiatum est ab arbitris, ipsum esse suspectum, causam delegare non potest; quia definit esse iudex. *c. Cui super; 23. de offic. deleg. ibi: qui iam iudex esse deputat. scilicet propter recusationes, & appellationes. Gl. ibid. V. Deserat; & Gl. in cir. c. Cum speciali; n. 11. V. De recusatoris.* Vel denique iudex ordinarius mittet causam ad Superiorem, ut eam definiat. *Idem hic n. 12. Alex. n. 10. & 11. Addit Gl. fin. hic, in ordine seu potestate iudicis ordinarii reculati (de quo loquitur hoc c.) esse, ut vel committat causam alicui suspecto, cum consensu tamen recusatoris, sive Actoris quoque, ne ipsum postea reculet; & ab eoque cum consensu utriusque partis; vel ut eam remittat ad Superiorem. Verùm *Abb. hic n. 11. patet, tamen, ut iudex recusatus possit delegare causam alteri, requiratur consensus recusatoris, ne deleget illam alicui magis, vel æque suspecto: non tamen requiritur consensus alterius partis sive Actoris, cum quilibet ordinarius habeat facultatem à iure delegandi causam.***

Porro unus casus specialis, in quo Archiepiscopus potest cognoscere de causâ subditorum Episcoporum, citra appellationem, est, quando Episcopus iuste ob suspensionem reculatus, causam remittit Archiepiscopo; quia per iustam recusationem legitur remedium appellationis. *Abb. hic n. 1. & ibid. n. 12. nam à iudice suspecto regulariter appellari non potest; ut supra dictum.*

CCLXXV. Ceterum hoc loco addendum quod statutum habetur in *c. Legitima 2. h. t. in Sen. ubi dicitur: Si contra iudicem ordinarium, vel delegatum à Papa. Gl. ibid. V. Iudicem* opponatur, quòd sit suspectus, legitimâ suspensionis causâ coram eo assignatâ, Arbitri à partibus, secundum formam juris (in *c. Cum speciali; 61. in princ. h. t.*) eligendi sunt, qui de illa cognoscant, & pronuntient. (*Gl. hic V. Cognoscant*) sin autem ii consentire nolint, nec tertium advocare velint (qui sit reculatus remptor, vulgò *ein Öbmann*) cum quo ambo, vel alter eorum procedat ad decisionem ipsius negotii, tum ad hoc cogi possunt à iudice reculato, etiam per censuram excommunicationis (prout etiam habetur in *c. Suspicionis; 39. de offic. deleg.*) Verùm, quia tales arbitri subinde, propter unius partem odium, vel alterius favorem, causam recusationis diutius protrahunt, ita, ut non procedatur ad cognitionem causæ principalis: ideo Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi de novo statuit: ut iudex recusatus (ordinarius, vel delegatus. *Gl. hic V. Per iudicem*) ipsis Arbitris competentem terminum præfigat, intra quem, vel ipsi inter se conveniant, vel, si convenire non possint, tertium advocent, cum quo ambo, vel alter eorum, eiusdem

recusationis negotium decidat: alioquin (si scilicet elapso termino illo, idem negotium non sit per ipsos terminatum. *Gl. hic V. Alioquin*) ex tunc Judex recusatus in causa principali procedat.

CCLXXVI. Notandum primò. Causa recusationis, non solum debet proponi coram Judice recusato, sed etiam coram eodem exprimi debet causa legitima, talis scilicet, quæ, si esset probata, deberet legitima reputari, sicut in appellatione, juxta c. *Ut indebitus*; 59. h. t. & postea debent eligi à partibus Arbitri, non priùs. *Franc. hic n. 1.*

Notandum secundò. Quamvis aliàs Judex possit cognoscere de causa suspicionis, an ea sit vera, vel legitima, sed Arbitri debent de ea cognoscere; quia recusat forte ad indignationem provocatus obesse posset parti reculanti, nisi causa recusationis esset notoriè injusta: tunc enim Judex illam rejicere posset. *Gl. hic V. Legitima; junct. Gl. marg. lit. f. Anchar. hic not. 2. Franc. n. 3.*

Notandum tertio. Hæc Constitutio nihil novi continet, nisi quòd Judex recusatus certum terminum temporis Arbitris præfigere possit, intra quem causam suspicionis decidat: alioquin ipse Judex recusatus, eo finito, jurisdictionem reassumet, & procedet in causa principali. *Gl. hic in casu*; ubi ait, hoc intelligendum esse de Arbitris juris: non enim de compromissariis loquitur istud c. neque tamen ideo cessat remedium juris antiqui, coactionis scilicet, de quo agitur in princ. huius c. sed in electione Judicis reculati est, vel cogere Arbitros discordes, aut negligentes in definiendo articulo suspicionis, per sententiam Censuræ, vel assignare illis terminum, & eo elapso, reassumere jurisdictionem super causa principali, quæ tunc ad ipsum revertitur. *Anchar. hic not. 5.*

Notandum quartò. Si Judex recusatus minus competentem terminum Arbitris assignet, ab eo appellari potest, & quidem per partes, quæ in hoc gravantur, non per Arbitros, nisi & ipsi graventur; ut quia contra ipsos profertur excommunicatio, si intra terminum assignatum causam suspicionis non definiant: nam tunc etiam ipsi appellare possent; quia v. g. inter Arbitros, & Judicem est quæstio de termino præfixo, an sit competens, necne. *Gl. hic V. Competens; & in addit. Anchar. hic in q. 2. Franc. n. 6. in Gl. V. eodem.* Porro etiam à sententiis horum arbitratorum appellari potest. & quidem ad Superiorem Judicem reculati; ut, si recusatus sit delegatus Principis, appellabitur ab Arbitris ad Principem delegatorem; quia sunt Arbitri juris, & ex necessitate eligi debent, succeduntque in locum Judicis reculati. *Gail. lib. 1. obs. 33. n. ult.* Quænam autem in specie sint justæ causæ recusationis Judicis, dictum est supra tit. 2. n. 202, & plures enumerat *Hofst. in summa de offic. Jud. deleg. n. 3. Marant. de ord. Judicior. p. 6. in obs. 2. n. 24. & multis seqq.*

CCLXXVII. Assertio tertia. Effectus recusationis est, quòd suspendat jurisdictionem Judicis reculati, ita, ut, postquam ea fuit proposita, pendente cognitione super justitia recusationis, Iudex in causa superferere debeat, nec ad ulteriora procedere possit; ut patet ex juribus supra citatis.

An autem per recusationem ita suspendatur jurisdictione Judicis; ut postea per eam gesta sint ipso ju-

re nulla, tam totus processus, quàm ipsa sententia, controversetur inter DD. Equidem omnes conveniunt, quòd, si causa suspicionis, seu recusationis sit notoria, vel etiam, quando sunt electi Arbitri; ut cognoscant de causa suspicionis, gesta post recusationem non valeant; quia res jam non est integra, & translata est jurisdictione cognoscendi de causa suspicionis in Arbitros electos; idque probatur ex c. *Secundò inquiris*; 41. §. *Tertiò postulas*; h. t. ubi dicitur: Si causa suspicionis non sit probata, intra terminum competentem, coram electis Arbitris, tum demum Judex recusatus potest uti jurisdictione suâ: ergo ante uti non poterat: idemque habetur in cit. c. *Cum speciali in princ. h. t. Alex. ibid. n. 46. in 1. & 2. casu.* Dubium ergo solum est, quando causa suspicionis non est notoria, nec electi sunt Arbitri ad cognoscendum de illa, an gesta post recusationem propositam sint ipso jure nulla? Affirmat *Gl. in c. Quorones*; 16. V. *Appellent*; caus. 2. q. 6. *Abb. in cit. c. Cum speciali; in princ. n. 5. Gail. lib. 1. obs. 33. n. 12. Mynsing. cent. 4. obs. 59. Hiltrop. in process. Judic. p. 2. tit. 13. n. 30.* Ratio est; quia per solam recusationem sic imminuitur jurisdictione Judicis reculati, ut non possit causam committere alteri, nisi de consensu reculatoris. c. *Si Iudex*; 5. de offic. deleg. ergo multò minus in ipsa causa principali poterit procedere, nisi priùs discutatur articulus recusationis: cui enim non licet, quòd minus, multò magis non licebit, quòd est maius. Excipe, nisi reculatio fuerit manifestè frivola, cui non est deferendum: vel nisi reculator, post exceptionem oppositam, coram Iudice recusato adhuc procedat, & litiget: tunc enim ab eadem exceptione recessisse censetur. *Abb. c. l. Hiltrop. c. l. n. 31. & 32.*

Contrariam tamen sententiam, nempe, quòd gesta, post propositam recusationem, per Iudicem reculatum, sive ordinarium, sive delegatum, non sint ipso jure nulla, sed valida, nisi interponatur appellatio, vel alio modo causa ad alium cum effectu transferatur, tenent *Innoc. in cit. c. Cum speciali; n. 7. Imola ibid. n. 18. & 21. Alex. n. 46. & seqq.* Idque probatur ex c. *Super questionum*; 27. in fine de offic. deleg. ubi dicitur: Si delegatus noluerit admittere justam causam recusationis, licitè potest ab eo appellari, & quòd post appellationem huiusmodi præsumptum fuerit, judicari debeat irritum, & inane: ac proinde gesta post recusationem, tamen ante appellationem, non sunt irrita, sed tantum illa, quæ sunt facta post appellationem. Neque obstat *text. in cit. c. Si Iudex*; quia ibi non dicitur, quòd non valeat processus Iudicis factus, post recusationem illius; imò potius contrarium ex eo colligitur: nam, cum Iudex recusatus possit causam delegare, saltem cum consensu reculatoris, sequitur, quòd habeat jurisdictionem: Si ergo procedat in causa, non obstante exceptione recusationis, gravat quidem partem, processus tamen valet, si non appelletur; quia paria sunt non excipere, & excipere, sed non appellare, si à Iudice rejiciatur exceptio, vel expressè, vel tacitè, procedendo ad ulteriora. *Alex. c. l. num. 49. & 50.*



§. III.

Quid sit relatio, quomodo, & quando fieri debeat, & quis sit illius effectus?

CCLXXVIII. Assertio prima. Relatio est Judicis in causa de jure dubitantis ad Principem missa, consultatio. *Durand. in specul. lib. 2. par. 2. tit. de relationib. §. 1.* Dicitur de jure dubitantis, cum scilicet Judex de jure, ob eius difficultatem, vel ambiguitatem, dubitans Papam, vel Principem consulit, quid in judicando sit sequendum; adeoque locum habet relatio, cum in causa controversa, sive civili, sive criminali (nam in utraque facienda est relatio. *Durand. c. l. 2. §. n. 1.*) nullum jus est expressum; vel expressum quidem, sed propter diversas interpretum sententias dubium, aut sibi ipsi videtur contrarium: eius enim est jura interpretari, cuius est condere. *l. fm. C. de legib.* Si verò Judex de facto dubitet, tum non Superiorem consulere, sed ipsemet inquirere debet. *l. Eum quem; 79. §. Iudicibus. ff. De judic. Gl. in l. 1. V. Consular. C. De relat. Durand. c. l. §. 2. n. 1. VVesenbec. in parat. ff. h. t. n. 12.* Quare, si Judex inferior questionem facti referat ad Superiorem, non admittitur talis relatio; quia præsumitur, quòd causâ se exonerandi hoc faciat; sive, quia vult evitare onus judicandi. *Gl. in c. Intimasti; 68. V. De inquisitionis; h. t. Barb. in Collectan. ibid. n. 3.*

CCLXXIX. Ubi præterea Notandum primo. Quòd ex pluribus causis Judex controversiam, vel eius articulum transmittere potest ad Superiorem; ut notavit *Abb. in cit. c. Intimasti; n. 2. h. t. Maran. p. 6. de ord. judic. de appellat. act. 2. n. 7. & 8.* Primo, quia est causa Superiori specialiter reservata, de qua Judex inferior cognoscere non potest; ideòque eam referre debet ad Superiorem Judicem competentem. *c. Majores; 3. in princ. de baptis. c. Ut debitus; 59. in fine, h. t.* Secundo, quia Superior tali formâ causam alicui delegavit, ut ea cognita, & instructa ad ipsum remittatur. *c. Cum Bertholdus; 18. ibi: Ad quem cum attestaciones utrinque receptas per partes postmodum remississent; de sent. & re judic.* nam illa processus remissio dicitur relatio. Tertio, si Judex, proprio motu, causam, vel articulum causæ, eò quòd ardua, & valde dubia sit, ad Superiorem referat, eum consulendi causâ; & de hac relatione in præsentia agitur. His adde, quòd interdum fit relatio, seu remissio causæ, non ad Superiorem, sed ad Iurisperitum, à quo Judex petit consilium; ut secundum illud ferat sententiam, etiam invitis partibus, dummodo id malitiosè non faciat. *Alex. in cit. c. Intimasti; n. 5. h. t. Maran. c. l. n. 8.*

Notandum secundo. Relatio strictè accepta differt à consultatione; quia per illam causa ad Superiorem refertur, ut Iudiciali sententiâ illam definiat; adeoque per eam Judex se omni potestate judicandi privat, totam causam in Superiorem transferendo; & huiusmodi relationes olim in usu erant; sed hodie novissimo jure constitutum est; ut causa perfectè examinata per sententiam latam terminetur ab ipso Iudice, & executioni mandetur, nisi ab ea fuerit ap-

pellatum. *Auth. novo jure C. De relation. Hilrop. in cess. judic. p. 3. tit. 3. n. 4.* ubi ait, hoc in præsentibus observari; ut nunquam causæ privatorum à Iudicibus ad Principem pro decisione referantur. At per consultationem Superior, nempe Principis consulitur, sive consilium ab eo petitur, quòd in judicando servari velit, & factâ consultatione, Judex, qui consulit, neque desinit esse Iudex. *Hilrop. c. l. 32. n. 1.* Quare relatio latius accepta, & consultatio idem significant: sunt enim synonyma, & promiscuè usurpantur. *Gl. in l. 1. V. Consular. in relationis. C. De relation. VVesenbec. in parat. ff. h. t. n. 4.*

CCLXXX. Assertio secunda. Si Iudex causam, vel articulum causæ ad Principem referre velit, necesse est; ut relationem, vel copiam, sive exemplum illius prius partibus edat, seu tradat; alioquin, si relatio, sive consultationi fides non adhibetur, pro ut sumitur ex *c. Intimasti; 68. h. t.* ubi habetur, quòd Papa Gregorius IX. mandavit, inquisitionem fieri de quibusdam Hospitalariis, quòd factâ, inquisitores, ignorantibus Hospitalariis, neque copiam eisdem traditâ de inquisitionis processu, relationem, ad Papam transmiserunt. Id verò non rectè factum esse, rescribit idem Papa, cum secundum Cæsareas leges, quoties Iudex dicit, aut pollicetur, se relaturum negotium, seu causam ad Superiorem, & exemplum relationis, seu consultationis apud eum Iudicis partibus litigantibus edere tenetur; alioquin relatio non valet; ut addit *Gl. hic V. De inquisitionis; in fine.* Ratio constitutionis est; quia, quando fit relatio ad Superiorem, causâ eum consulendi de aliquo dubio juris; tum non transmittitur articulum totus processus, ne illius inspectione nimis fatigaretur, sed solum excerpitur ex actis articulus, quo dubitatur: at, quia Iudex possit articulum illum non bene formare, tacendo veritatem, vel exprimeudo falsitatem; ideo non statim relationi ipsius traditur nisi copiam dederit partibus, & confitetur, eum consensu illarum, esse formatum illum articulum debent. *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 13.* Quòd si relatio partibus edita non videatur esse vera, & sufficiens, ea refutatur, & appellare possunt. *l. 1. & 2. C. De re. Debet autem hæc copia tradi in forma authentica, ut non possit immutari. arg. c. Quoniam; 11. de probat. nempe manu Notarii, vel aliorum doctorum verorum honestorum scripta, vel authentico sigillo munita. *Abb. hic n. 1. not. ult. & Alex. n. 6.**

CCLXXXI. Notandum hic præterea primo. Si Iudex causam dubiam, vel eius articulum ad Principem referre velit, eam plenè introductam, & in breve compendium redactam, unâ cum actis, transmittere debet, *l. 3. & ibi Gl. in casu C. de relation. h. t.* acquiritur etiam; ut utraque pars litigans in relationem ipsi editam consentiat. *l. 2. junct. Gl. V. Probantur; C. eodem.* Verùm eo ipso, quòd partes contradicunt relationi, approbare eam censetur, quia tacens consentire videtur, si consentire nolens contradicere deberet. Sin autem saltem una pars contradicatur relationi, hæc fidem non facit, nisi ea quæ referuntur, ex actis cognosci, & probari possint. *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 14. & 15.*

Notandum secundo. Quod Iure Civili editum spositum circa relationem, & consultationem, etiam servandum est in foro Ecclesiastico, & de Iure Canonico

nico, quod ei non contradicit, sed potius expresse approbat Jus Civile in hoc cap. *Abb. hic not. 2. Alexand. num. 3.*

Ceterum relatio fieri debet, non post, sed ante sententiam definitivam. *l. 1. in princ. C. de Relation. exceptis causis criminalibus, in quibus prius fertur sententia; ut demum Princeps iudicet, an eam sequi oporteat. l. Inter pœnas; 6. §. 1. ff. de Interdict. & relegat. Durand. cit. loc. §. 3. Wesenbec. cit. loc. num. 12.*

CCLXXXII. Assertio 3. Effectus relationis est, quod, sicut per appellationem, ita & per relationem suspenditur Jurisdictio Judicis inferioris: nam, si Judex, causam referendam esse, decrevit, ex eo tempore Jurisdictio eius quiescit, seu suspensa est, ita, ut eâ pendente, nihil innovari, seu attentari debeat, nec de causâ meritis inquiri, donec Superior consultatur, vel eius Successor (relatio enim, seu consultatio ad Superiorem dirigitur, ratione dignitatis, quæ transit ad Successorem) responsum dederit; prout

habetur in *l. Ex illo; 13. C. h. r. & in cap. Licet; 5. de offic. legat. Durand. cit. loc. §. ult. Hostiens. in Summ. hoc tit. Rubric. de relation. num. 3.* Porro, quod dictum est, ab eo tempore, quo Judex promisit, vel decrevit, causam instructam referre ad Principem, suspensam esse illius Jurisdictionem, ita, ut non possit procedere, vel immutare aliquid, aliâs irritum id futurum: hoc tum demum procedit, si partes approbârint relationem: sed cum partium consensu Judex causam reassumere posset, eamque iterum cognoscere, ante factam relationem; ut docet *Glos. in cit. cap. Licet. V. Transulerat. Arg. l. 2. C. de relat. Durand. cit. loc.* Veruntamen, postquam relatio, seu causa instructa Principi est præsentata, tum neque cum partium consensu Judicis cognoscere, aut quidpiam immutare concessum est, ne illudatur Principi; ut colligitur ex *cap. Bonæ; 4. de postulat. Prælat. Abb. in cit. cap. Licet; num. 3.*

T I T V L V S XXIX.

DE CLERICIS PEREGRI-
NANTIBVS.

Quia peregrinantes, seu proficiscentes ad Sedem Apostolicam, vulgò Romipetæ dicti, gaudent privilegio appellantium, quorum instar sub eiusdem Sedis protectione esse censentur; ideo post Titulum de appellationibus subjicitur iste de peregrinantibus.

I.

DER peregrinantes hoc loco intelliguntur ij specialiter, qui ad Sedem Apostolicam proficiscentur, sive ex causa peregrinationis ad Limina Apostolorum, sive etiam, qui ex alia causa necessaria, vel probabili accedunt ad S. Pontificem; ut tradit *Innocentius in cap. Ut debitus; 59. num. 2. de appellat. & Abb. in cap. unic. hoc tit. num. 2. & 4. & Alexand. num. 10.* Quamvis autem Rubrica huius Tituli inscribatur: De Clericis peregrinantibus: sicut & casus in illo propositus est de Clerico peregrinante Romam; tamen quod in eo statutum est, etiam locum habet in aliis peregrinantibus ad Sedem Apostolicam, etiam Laicis; quia ratio huius dispositionis, seu Constitutionis est generalis, & in Laicis etiam locum habet, quod videlicet proficiscentes ad Papam, sive Sedem Apostolicam sub eiusdem protectione esse censentur. *Abb. in rubr. huius Tit. & alii DD. communiter.*

Tomus II.

II. Jam ergo in *cap. Referente unic. hoc titulo* statuitur, ut, qui proficiscentur ad Sedem Apostolicam, ipsi cum suis rebus sint constituti sub eiusdem protectione, & si quid, durante itinere, eis ablatum fuerit, illis restituendum sit; quia contra peregrinantes ad sedem Apostolicam nihil est innovandum: Nam, cum quidam Presbyter ad Romanum Pontificem iter instituisset, aliqui res ipsius diriperunt: (ut habetur in integra lectione huius cap.) re delatâ ad Papam Cælestinum III. is respondit: licet Presbyter iste, quando ad Romanum Pontificem accessit, res suas, & Ecclesiæ suæ sub eiusdem protectione non posuerit (verbis scilicet expressis, ipso facto tamen id expressit, quod plus est, *Gl. hic V. Non posuerit*) quia tamen illi, qui ad Papam accedunt, interim, cum rebus suis, debent esse sub Apostolica protectione securi: ideo mandat idem Pontifex, ut, quidquid dicto Presbytero, post iter arreptum ad Papam, sub-

Q o o o

sub-